DE
VERSIBUS SUSPECTIS ET INTERPOLATIS
IPHIGENIAE TAURICAE FABULAE EURIPIDEAE.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITENBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS SCHULZE

SAXO-BORUSSUS.

HALIS SAXONUM,

TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN)

MDCCCLXXXI.

Praefatio.

Interpolationis indagandae studium in Euripideis fabulis Valckenarius editionibus Phoenissarum (1755) et Hippolyti (1768) excitavit. Nam cum ante eum viri docti, quidquid in codicibus inveniebant, defendere ac probare conarentur, eandem viam ac Bentleius, qui hoc praeceptum constituit: „nobis et ratio et res ipsa centum codicibus potiores sunt“ (ad Hor. carm. III. 27, 15), ingressus omnibus praeiudicatis opinionibus abiectis magno ingenii acumine quaesivit, qui versus essent spurii aut saltem dubii. Quam rationem secuti imprimis Britanni et Germani ceteras Euripidis tragoedias perscrutati sunt: (3) Marklandus (1763—1783), (7) Brunkius (1779—1793), (19) Musgravius (1778); (13) G. Hermannus (1810—1841), (3) Seidlerus (1812—1813), Matthiaeus (1813–29); Kirchhoffius (1855. 1867), Nauckius (1876 III. edit.), G. Dindorfius (1869. V. edit.), quibus ex viris doctis tres posteriores omnium tragoediarum editionibus iustae existimationis iecerunt fundamenta.

De interpolatione disseruerunt Hartungius (Euripidis Iphigenia in Aulide. Praemittuntur de Euripidis fabularum interpolatione disputationes duae. Erlangae 1837) et Firnhaberus (Die Verdächtigungen Euripideischer Verse beleuchtet und in den Phönissen u. der Medea zurückgewiesen etc. Leipzig 1840), quorum alter in expungendis versibus ita grassatus est, ut in Euripide restituto et in Phoenissarum editione (1849) plurima irrita faceret; alter in defendendis versibus iustum modum transiit, ut paene negasse videatur, fieri omnino posse, ut versus inculcarentur: quae quidem opinio quam perversa sit, ex quaestionibus, quae infra enumerabuntur, clare elucebit.

Heimsoethius (Krit. Studien) multa sagaciter illa quidem, at tamen ni fallor saepe talia in medium protulit, quae comprobari nequeant. Bene de Euripide existimando meritus est Weckleinius (Studien zu Euripides VII. Suppl.-Band der Jahrb. f. class. Phil. 1874 p. 307—448). Deinde de compluribus quaestionibus ad fabularum Euripidearum crisin pertinentibus sagaciter disseruit Wilamovitz-Moellendorfius (Analecta Euripidea Berl. 1875). Nonnulla tractavit H. Muellerus (Krit. Bemerkungen zu Euripides, progr. gymn. Burg 1876).

Atque ut his operibus addam libellum, qui tantum partim ad hanc quaestionem pertinet, Heimsoethius, qui de versuum in tragoediis Graecorum structura (de interpolationibus) agit, criticos monendos esse censet, ut in damnandis sententiis, quae sub finem longiorum orationum, actuum, in mediis orationibus tamquam lumina collocatae sint, cum ab omnibus veteribus permagni sint aestimatae, utcumque fieri possit, moderate versentur.

In repetitos versus praeter Firnhaberum (cf. supra) inquisiverunt Treplinus (de repetitis apud Euripidem versibus. Schrimmae 1866) et meliore cum successu Wesenerus (de repetitione versuum in Fabulis Euripidis. Bonnae 1866).

Postquam G. Hermannus (elem. doctr. metr. III. 20) docuit, aequabilitatem quandam numerorum versuum inesse non solum in chori carminibus tragoediarum Graecarum, sed etiam in diverbiis, multi viri docti hac re accuratius perspecta demonstraverunt, hoc poetarum studium patere multo latius quam G. Hermannus coniecerat. Ac primus quidem huius vestigia secutus Heilandus (Metrische Beobachtungen, prog. gymn. Stendal. 1855) multa ex tribus illis tragicis exempla afferendo rem non multum adiuvit minimeque exhausit. Ut autem eos omittam, qui ostenderunt, quomodo Aeschylus et Sophocles hanc aequabilem distributionem usurpassent, in universum multo aptius quam Heilandus hanc rem tractavit Kvícala (Ztsch. f. d. oesterr. Gymnas. 1858 p. 666). Huius argumenta examinavit atque auxit Behrnsius (de stichomythia Euripidea. Wetzlar. 1864). Minus mihi quidem probatur dissertatio, quam libello scholastico Inovraclavensi

praemissam Wesenerus scripsit (Ueber Störungen der Stichomythie bei Euripides. 1871). Nemo autem acutius argutiusque diverbiorum Euripideorum naturam pervestigavit copiosiusque descripsit quam Hirzelius, qui in egregia illa disputatione, quae inscribitur „de Euripidis in componendis diverbiis arte“ (Lipsiae 1862) demonstravit, Euripidem „non solum in diverbiis disponendis saepe certam quandam aequabilitatem secutum esse, sed etiam partes stichomythicas multoque frequentius orationes vel in partes quasdam aequabiles descripsisse vel ad aliam numerorum rationem disposuisse“ (p. 32). Nonnulla satis apte addidit Czwalina (de Euripidis studio aequabilitatis. Bonnae 1867).

Horum igitur et aliorum hominum doctorum quaestiones una commentatione breviter comprehendit Wittenus atque ea, quae nondum erant tractata, perscrutatus sibi proposuit, „ut omnium poetarum usus inter se componendo aut per gradus ascendisse aut sensim delapsam esse versuum aequabiliter disponendorum artem intellegeretur“ (p. 3. De tragicorum Graecorum stichomythia. progr. gymn. Helmstedt. 1872). Quamvis Wittenus in singulis versibus diiudicandis Kirchhoffii Nauckii Behrnsii Hirzelii aliorum argumentis nimis nitatur (cf. p. 3. 46), tamen capita mihi probavit, ut facere non possim, quin quae se ostendisse putat afferam: „Aeschylum artem quidem quaesivisse externam, sed semper ita ut sententiarum nexus non violetur; Sophoclem ne rem ipsam minoris momenti habuisse videatur, haud raro neglexisse externam concinnitatem; Euripidem denique, ut artem servet externam, haud raro sententiis vim fecisse“. In singulis vero fabulis probare studuit Wittenus „non eandem conspici artem, sed Aeschylum paullatim egressum esse ad artem consummatam atque perfectam, cum Sophocles et Euripides in fabulis recentioribus artem illam quam in prioribus ostenderint paullulum neglexerint“ (p. 46).

Ceterum in huiusmodi quaestionibus cavendum est, ne aequabilitati symmetricae quae vocatur nimium tribuens ponderis a recta via abducaris. Nam ut Hirzelius ipse (p. 89) concedit, cum dicit „trimetros haud raro Euripidem ad certas

numerorum rationes disposuisse", multa Euripidea inveniuntur diverbia, in quibus certa partium aequabilitas non appareat: itaque in hac re nullum interpolationis indicium per se inesse potest. Ad cohibendam autem temeritatem criticorum, praecipue hae regulae cum Gulielmo Christio (32. Phil. Vers. 1877 p. 142—161) constituendae videntur: ac primum quidem in dispositione diverbiorum et actuum aequabilitatem numerorum versuum statuere non licet, nisi partes, in quibus pares numeri inesse putantur, etiam argumento inter se cohaerent vel respondent; deinde tenendum est, poetas in diverbiis componendis firma immutabilique lege se non adstrinxisse. Quam ob rem in singulis versibus examinandis a lege aequabilitatis numerorum non proficiscendum neque unquam responsio versuum interpolationibus aut lacunis statuendis reficienda est. Atque haec quidem hactenus.

Videamus nunc, in quarum Euripidis fabularum interpolationes singulis dissertationibus adhuc inquisitum sit. Ex huiusmodi commentationibus mihi innotuerunt hae:

Nauck: „Euripideische Studien" (vol. II. Petropoli 1859. 1862) qui novem tragoedias perscrutatus est: Hecubam Orestem Phoenissas Medeam, Hippolytum Alcestidem Andromacham Troades Rhesum.

Jos. Klinkenberg, de Euripideorum prologorum arte et interpolatione. Bonnae 1881.

Firnhaberi de Phoenissis et Medea disputatio iam supra commemorata est.

Jos. Henr. Wheeler, de Alcestidis et Hippolyti fabularum Euripidearum interpolationibus. Diss. Bonn. 1879 (de quo libello cf. Wilamowitz, philol. Unters. I. p. 92 adn. 8 et Wecklein, Jahresber. über die Fortschr. der class. Alterthumswiss. 1879, I. p. 79).

Trautmann: de Euripidis Phoenissarum versibus suspectis et interpolatis. progr. paedagog. Halens. 1863.

Altenburg: de versibus qui sunt in Phoenissis spurii, diss. Hall. 1865.

Zipperer: de Euripidis Phoenissarum versibus suspectis et interpolatis, diss. Wirceburg. 1875.

M. Seyffert, de duplici recensione Iphigeniae Aulidensis. diss. Hal. 1831.

Zirndorfer: de Euripidis Iphigenia Aul. diss. Marburg. 1834.

G. Hermann: de interpolationibus Iphigeniae Aul. 1847 et 1848 (opusc. VIII. p. 218—242).

Henning: de Iphigeniae Aulidensis forma ac condicione. diss. Berol. 1869.

Berger: de Medea Euripidis tragoedia ab histrionibus interpolata. Gottingae 1830.

Witzschel: de versibus in Euripidis Medea male repetitis, Lipsiae 1840, act. soc. graec. II, p. 143—161.

Scheibel: de Euripidis Hippolyto. Berol. 1841.

Gloël: de interpolatione Hippolyti fabulae Euripideae. diss. Hal. 1879.

Hutter: über die Hecuba des Eurip., München, 1836.

Loeffler: de Euripidis Hecuba, progr. Germano-Cronense. 1869.

Wilken: de Alkestide Euripidea. Berol. 1867.

Queck: de Euripidis Electra. Jenae 1844.

Steinberg: de interpolatione Euripideae Electrae. Hal. 1864.

Silber: de Euripidis Bacchis. Berol. 1837.

Middendorf: observationes in Euripidis Bacchas. Monasterii 1867.

Zastra: de Euripidis Heracle furente. Vratisl. 1847.

Idem: Untersuchung über die Hiketiden des Euripides. Neisse. 1848.

Körner: über Euripides Andromache. Züllichau 1826.

Qui viri docti satis evidenter demonstraverunt, has fabulas permultis interpolatorum additamentis esse inquinatas; de ceteris, ut ex opusculis supra commemoratis intellegitur, idem quidem constat; sed quaestiones, quibus deinceps omnes uniuscuiusque fabulae spurii versus accuratius examinati contineantur, quantum scio, nondum exstant.

Inter has tragoedias Iphigenia Taurica est, quae in praestantissimis omnium fabularum Euripidearum numerari

solet. Neque injuria. Propter universam compositionem, praecipue autem propter ἀναγνωρισμόν, — in quo Iphigenia Orestem fratrem cognoscit —, scienter factum (XVII, 3. XVI, 4. XI, 5) et quia ad metum misericordiamque concitandam maxime idonea sit (XIV, 9), ab Aristotele in eo qui de arte poetica inscribitur libro approbatur laudaturque ac poetis imitanda proponitur. Argumenti autem venustate animos valde oblectat. Propter has virtutes, si quid video, Goethii oculis obversabatur eumque commovit, ut suum ingenium secutus idem argumentum tractaret. Qua divini poetae fabula Germanos ut drama Euripideum legerent, penitus cognoscerent, recenserent, emendarent commotos esse consentaneum fuit. Ediderunt Iphigeniam Tauricam praeter Kirchoffium Nauckium G. Dindorfium Marklandus (1783; 1822), Seidlerus (1813), Matthiaeus, L. Dindorfius (1825), G. Hermannus (1833), Witzschelius (1844), Hartungius (1852), Klotzius (1860, edit. II), Bauerus (1872), Zieglerus (1873), Weilius (1879 edit. II), Weckleinius (1876).

(Valde doleo, quod ut editionibus Monkii, qui quod apud nostrates parum notus sit Wilamovitzius (anal. p. 224) queritur, Fixii (1843), Bothii (1846), Paleii (1860) uterer mihi non contigit).

Hisce editionibus aliquot commentationes, quarum plurimae in annalibus philologicis reperiuntur, addendae sunt.

Kvícala: „Beiträge zur Kritik und Exegese der Iph. T.“ — Vindobonae 1859 (recensuit hanc disputationem Klotzius annal. phil. 1860 part. II. p. 15—26) et „Zur Kritik der Iph. T.“ Symbol. philol. Bonn. fasc. II. Lips. 1867. p. 645—666.

Koechly: emendationum in Euripidis Iph. T. particulae quinque. Turici 1860—62.

Rauchenstein: disputatio de locis aliquot Euripidis Iphigeniae Tauricae. Araviae 1860.

Bergk: Mus. Rhen. nov. ser. XVII vol. p. 588—604 et XVIII, p. 201—226.

Enger: ibid. XVII vol., p. 612—617.

F. G. Schmidt: annal. philol. 1864, 89. vol. p. 227—238.

Schenkl: Euripides-Litteratur. Philolog. XX. vol. p. 467—479.

Usener: Mus. Rhen. 1868. p. 166 sqq.
Wecklein: Bemerkungen zur Taur. Iphig. annal. philol. class. 1876.
—— Studien zu Euripides (vide supra).
Bauer: Zu Euripides' Iphigenie auf Taurien. Festschrift des Wilhelmsgymnas. in München. 1872.
De Weckleinii editione iudicat:
Metzger: Blätter für das bair. Gymnas und Realschulwesen XII, vol. p. 457—460. —

(Chr. Ziegleri disputatio, quae inest in libello scholastico Stuttgartensi (1871) et Herwerdeni adnotationes criticae et exegeticae ad Euripidem (Amstelodami 1873, 1874) part. II. praesto mihi non fuerunt).

Hi omnes viri docti, quamquam in investigandis et definiendis interpolationibus sagaciter et interdum, ut opinor, feliciter versati sunt, tamen saepius inter se dissentiunt nonnullique audacius quam par est iudicasse mihi quidem videntur. Quibus de causis ego quaerere mihi proposui, qui versus Iphigeniae Tauricae pro interpolatis aut suspectis habendi sint. Cum autem permulti in suspicionem vocati sint aut damnati, priorem partem eorum, qui insunt in diverbiis, tractaturus sum, alteram et suspiciosos chori versus in aliud tempus differens.

Sed priusquam ad rem ipsam aggrediar, nonnulla proferenda videntur, primum a quo quibusque de causis interpolationes ortae sint, deinde quando, tum quae earum sint indicia.

Ac primum ex scholiis (cf. ad Orest. 1023, 1352. Andr. 6. Med. 356, 379), quae exhibent vestigia doctrinae grammaticorum Alexandrinorum, apparet unum genus esse profectum ab histrionibus [1]), qui orationis amplificandae ornandaeque causa versus addiderunt; quo factum est ut, cum fabulae iterum agerentur, haec additamenta in textum reciperentur. Alterum genus debetur grammaticis et lectoribus, a quibus interpretandorum locorum aut comparandorum causa de in-

[1]) Perverse de hac re iudicavit Heimsoethius in illo quem de voce ὑποκριτής scripsit commentariolo.

dustria versus aut inculcabantur aut ad genuinos adscribebantur, unde errore librariorum in poetae verba irrepserunt.

Nunc de tempore videamus. Quando singuli versus nati sint, hodie non accurate potest diiudicari. Sed in universum constat, ab histrionibus versus esse additos ante illud Lycurgi tragoediarum corpus confectum antiquioribus studiorum Alexandrinorum temporibus, (cf. Korn, de publico Aeschyli Sophoclis Euripidis fabularum exemplari Lycurgo auctore confecto, diss. Bonn. 1863, sub finem), alterum versuum interpolatorum genus posteriore tempore ortum esse. Ceterum cui generi unusquisque versus spurius tribuendus sit, plerumque in medio relinquendum esse censeo.

Deinceps commemoranda sunt interpolationis indicia. Nam versus spurii aliquo modo interpolatorem redolent. Repugnant enim aut (1) conexui aut (2) toti fabulae aut (3) ingenio poetae aut (4) universae rationi. Ad haec indicia intestina accedere possunt externa: (5) vocabula nullo alio loco nisi hoc usurpata — quod argumentum solum ad versus expungendos non satis valet, quoniam hodie multa *ἅπαξ εἰρημένα* quae vocantur inveniri nemo nescit —; (6) verborum structura aliena ab usu poetae; (7) laesa stichomythia (sed cave, ne huic rei nimium tribuas momenti); versus (8) aut ex eadem aut (9) ex aliis Euripidis tragoediis aut (10) ex aliorum poetarum fabulis repetiti, qua in re in universum id tenendum est, versus, qui in una eademque fabula bis vel ter repetuntur, si vera repetitionis causa non plane perspicua est, nullo modo pro genuinis esse habendos. (11) Praeterea saepe scholiastae adnotant aliquos versus in nonnullis libris non inesse, quod quidem argumentum non semper satis firmo ad persuadendum nititur fundamento, quia multi versus a librariis neglegenter omissi sunt. (Schol. ad Alc. 830—832; ad Phoen. 1289). (12) Nonnunquam porro, si versus, suo loco omissi, alio sunt collocati, ad nexum efficiendum nonnulla temerarie addita sunt. (13) Interdum denique falsa lectione, quae conexum sententiarum perturbabat, factum est, ut locus amplificaretur. (cf. Wecklein. Stud. p. 352).

Quae indicia si in investigandis interpolationibus perpendimus imprimisque si sententiarum progressum et conexum diligenter examinamus, — in qua re eo adiuvamur, quod Euripidea oratio sophistarum scholis exculta est et polita ac sermo purus et liquidus, ut in omni obscuritate et difficultate etiam leviore haereamus, — speramus fore, ut praeiudicatis opinionibus non admissis aliquatenus saltem perspiciamus, quid de quoque loco statuendum sit. Cum autem complura interpolationis indicia (cf. ea, quae locis 9—13 enumeravimus) in hac fabula fere desint, in singulis autem versibus saepius indicia inter se plane diversa coniuncta inveniantur, quae ratione et via secerni nequeant, denique quia non omnes suspectos aut interpolatos versus tractandos nunc nobis proposuimus, classes eorum non distinximus, sed eam quam fabula ipsa praebet viam sequendam esse censuimus.

Iphigenia dormiens animo vidit domum paternam Argis concidentem neque quidquam relictum nisi unam columnam; de hac, cum promiserit capillos atque humanam acceperit vocem, tanquam de homine mortem obituro se sacerdotem cum lacrimis sacra esse auspicatam. Quod somnium ita interpretatur:

v. 56.[1]) *τέθνηκ᾽ Ὀρέστης, οὗ κατηρξάμην ἐγώ.*
στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες·
θνήσκουσι δ᾽ οὓς ἂν χέρνιβες βάλωσ᾽ ἐμαί.
59. *οὐδ᾽ αὖ συνάψαι τοὔναρ εἰς φίλους ἔχω.*
60. *Στροφίῳ γὰρ οὐκ ἦν παῖς, ὅτ᾽ ὠλλύμην ἐγώ.*

Ex his trimetris 59. et 60. spurios damnat Nauckius, cui assentiuntur G. Dindorfius Koechlyus Weilius Zieglerus Bernhardyus (Grundr. d. Gr. Lit. Gesch. II. pars. III. edit. 1872 p. 476) eosque ex vss. 914. sqq. confectos esse censet Koechlyus. Reliqui editores locum servant, defenduntque eum Weckleinius Seidlerus Klotzius his argumentis usi:

Primum ruinam domus illius Argivae ad Strophium Phocaeensem quidem non spectare; sed cum consanguinei eiusdem sint generis (*οἴκου*), facile perspici, cur Iphigeniae aliorum propinquorum (*φίλων*) in mentem veniat (Wecklein.). Cur autem Strophii filii potissimum? ideo quod „nec Menelaus habebat tunc filium nec, si habuisset, ab illa curatus esset (Seidler.). Quae sententiae num rectae sint, paucis quaeramus. Atque illud quidem nemo negabit, domum, quae animo Iphigeniae obversatur, esse Agamemnonis. Inde manifestum est, Euripidem ruinam domus illius ad interitum Agamemnonis eiusque familiae retulisse (cf. v. 557. *ὦ συνταραχθεὶς οἶκος*). Cuius cum Pylades non sit, prorsus nulla causa est, cur

---

[1]) Utor numeris editionis Nauckianae.

Strophii filii mentio fiat. Itaque Weckleinii sententiam impugnandam censeo et Koechlyo Weilioque assentior: etsi Iphigenia plures habuisset consanguineorum, columnam illam ad neminem ab ea referri postuisse nisi ad Orestem.

Deinde Euripidis, cum Iphigeniam insciam consangiuneos occidentem facere vellet, multum interfuisse dicunt, ne forte auditores opinarentur, Pyladis nomine audito statim a principio (v. 249) eam perspexisse, qui essent peregrini vel qui esse possent. (Ita Klotzius; similiterque Weckleinius). Sed ne hoc quidem argumentum magnam vim persuadendi habere mihi videtur. Nam ex omnibus iis, quae Iphigenia post auditum Pyladis nomen in fabula nostra loquitur, satis superque apparet, quis sit Pylades prorsus eam ignorare: Itaque spectatores opinionem illam, si modo conceperunt, statim abicere deberunt. Causam vero, cur Pyladis nomen ignotum fuerit Iphigeniae, poeta vs. 920 sq. perspicuam reddit.

Si quis autem dicat, Euripidem, quidquid in fabulis, quae vulgo ferebantur, mutaverit, significasse in prologis (cf. Voss, de prologis Euripideis, progr. scholae Latinae, Hal. 1873 p. 16 sq.), hoc argumentum altero, cui non minus fidei est tribuendum, refutatur. Namque poeta, ut auditoribus, qui eius aetate magnam partem ex plebe orti multa ignorabant, fabulas quam maxime probaret eorumque animos sibi conciliaret, in prologis origines et fata singulorum generum, quibus principes personarum nati erant, enumeravit. Itaque etiam in hoc prologo Pelopis progeniem recenset. Sed qua affinitate Strophius cum Agamemnonis stirpe coniunctus sit, non affert. Quoniam igitur hanc rem non ita ut solet toti conexui prologi inseruit, mihi quoque constare videtur, versus 59 sp. non ab Euripide esse profectos.

Sequitur, ut videamus, quid de earum origine sit indicandum. Haud inepte Koechlyus coniecit, summam eorum haustam esse ex vss. 914 sqq. et versum 60 ortum ex vss. 920 sq. Substantivum *φίλον* autem significatione cognati vel propinqui reperitur quidem apud Euripidem — Phoen. 374: *ὡς δεινὸν ἔχθρα, μῆτερ, οἰκείων φίλων* (Eteoclis et Polynicis); Orest. 740: *κακὸς* (Menelaus) *ἐφωράθη φίλοις* (Oresti et Electrae cf. 736);

ibid. 1337. ἀλλ' ἐλθὲ (Hermiona) καὶ μετάσχες ἱκεσίας φίλοις (Or. El.)—,sed ad nostri loci naturam magis quadrarent vocabula qualia sunt ὁμογενὴς συγγννής, quibus Iphigenia v. 918 et Orestes vs. 923 utuntur. Porro verba συνάψαι τοὔναρ Koechlyus censet ficta esse ex τοὔναρ... συμβάλλω (v. 55). Quae sententia num comprobanda sit, in medio relinquo, quoniam huiusmodi similitudines non rarae sunt. cf. ad vs. 76. — Constructionis autem vocabulorum συνάψαι τοὔναρ εἰς prorsus aptum exemplum non inveni (Eur. Suppl. 566: βούλει συνάψω μῦθον ἐν βραχεῖ σεθεν;) at tamen in praepositione εἰς, cum valeat quod nos dicimus in Ansehung (cf. Orest. 542. εὐτυχήσειν ἐςτέκνα. Da. 5. χαρακτὴρ χρηστὸς εἰς εὐψυχίαν) non valde offendo (Soph. Ant. 376. Tracch. 1211. Oed. tyr. 980. Phil. 111).

Quoniam igitur satis mihi ostendisse videor, summam versuum 59 sq. discrepare a conexu in eumque eos contra Euripidis usum esse illatos ac verba eorum nonnullas movere dubitationes, facere non possum, quin eos subabsurdos esse Nauckio assentiar. Histrio aliquis, ut fabulae actio veri similior fieret, eos addidisse videtur, quia vulgarem de Oreste Pyladeque famam in spectatorum memoria inhaerere putabat[1]).

Versum

70. ἔνθ' Ἀργόθεν ναῦν ποντίαν ἐστείλαμεν

expungunt cum Badhamo G. Dindorfius Kirchhoffius Nauckius Schenkelius Behrnsius Wittenus Weckleinius Zieglerus. Badhamus sibi persuasit, eum additum esse ab aliquo grammatico, qui Orestem non satis accurate indicasse credebat, de quo templo loqueretur; atque ἔνθα dictum esse pro ὅποι.

---

[1]) Klinkenbergii libro supra commemorato uti propter temporis augustias mihi non licuit; editus est eo tempore, quo dissertationem meam amplissimo philosophorum ordini iam tradideram. Klinkenbergius praeter vs. 59 sq. delendos esse censet vs. 17. 20. (ὅ τι) — 24. (θῦσαι) 31—33. 35 sq. 38—41. 679 sq. De vs. 40 sq. cf. etiam Wilamovitz. p. 33. Müller. p. 12.

Defendit versum Kvícala (Beitr. p. 212), cui assentiuntur Koechlyus Weilius Bauerus Klotzius, hunc fere in modum. Primum Oresti et Pyladi opus esse scire, num ad eam, in qua deae signum sit positum, aedem venerint. Deinde Euripidem voluisse, auditores, priusquam accuratius consilium peregrinorum perspexissent, statim nonnulla imprimisque id accipere, consulto eos huc tetendisse; quae res si deesset, spectatores valde miraturos fuisse, quod timidissimi illi advenae, simulatque humanas hostias pro hoc templo immolari animadvertissent, non confestim fugae se mandarent, sed fanum specularentur. Tum de stichomythia haec esse dicenda. Versus 67 et 68 pronuntiari, dum peregrini ab extrema scena („aus dem Hintergrunde") prodeuntes ad templum adituri sint. Priusquam enim longius procedant, videre eos debere, num quis prope templum sit. Cum autem neminem aspexerint, postquam ad aedem constiterint, incipere amicos colloquium, ut, brevi intervallo post versum 68 facto, exoriatur stichomythia inde a sequente versu.

Contra Kvícalam Behrnsius haec habet quae proferat. Apparere ex vs. 69. de industria peregrinos ad fanum venisse, atque ex vss. 67. 68., quippe quibus cautissime et timidissime se gerant, aliquam rem eos moliri. Cum vero spectatores v. 69 et 71 nomina Pyladis et Orestis audiverint, minime neccessarium esse, accurate addi Argis illos esse profectos (cf. etiam vss. 45 et 56). Posse quidem, pergit ille disputans, advenas, priusquam in proscenium progrediantur, versus 67 sq. loqui, sed nullo alio modo nisi ita, ut spectatores audiant. Quod ut factum sit, non esse discrimen inter versum, qui extra scenam vel in extrema scena et eum qui in prima pronuntietur.

Praeterea, quamquam versu 70 deleto stichomythia non habeat exordium duorum versuum, minime dubitandum esse, quin versibus 67 sqq. brevis illa quidem, sed tamen iusta contineatur.

Quid vero Klotzius voluerit, vix inveniatur, qui perspiciat; nam cum doctus ille vir Kvícalae omnino assentitur, tum ipse stichomythiam v. 69 sq. propterea esse neglectam

opinatur, quia Pylades non patiatur Orestem orationem ad finem perducere; ut nova alternorum versuum series nascatur inde a v. 72. Mira profecto ratiocinatio, quae a Behrnsio satis refutata est.

Gravissima autem causa, ut recte intellexit Weckleinius, haec accedit, quod versu 70 prorsus inutiliter praeoccupatur argumentum versuum 93 sq. Adde quod Orestes animo commotior est quam ut supervacanea et inania verba in medium proferat [1]). (Similiter v. 772. 777. 780.) Quamquam autem Seidlerus vocem *ἔνθα* haud improbabiliter tueri studet, cum locum exponit vertitque: „non u b i advenimus, sed q u o tetendimus, ubi appellere consilium fuit", (Iph. T. 1198: *ἄγ' ἔνθα χρῄζεις*), tamen ceteris gravissimis causis ductus versum 70 prorsus otiosum e textu movendum esse censeo.

Versum

76. *ἀλλ' ἐγκυκλοῦντ' ὀφθαλμὸν εὖ σκοπεῖν χρεών*

interpolatum esse censent G. Dindorfius et Zieglerus.

Ex diverbio, quod vss. 67—75 continetur, manifestum est, hortantis et interrogantis partes Orestis, oboedientis et respondentis esse Pyladis. Quam ob rem Kvícala (Beitr. p. 212) versum 76 in codicibus Oresti recte tributum esse putat, quandoquidem Pylades, si eum pronuntiaret, Orestis partes susciperet atque huius ipsius priore cohortatione (v. 68) eum cohortaretur. Quod num recte dictum sit, valde dubito. Namque Pylades nequaquam Orestem, sed amici adhortationis prioris memor se ipsum adhortaretur, ut non tam amici partes susciperet, quam suas, quibus Oresti ipsi magis idoneus esse videtur, servaret diligentius, cum in tanto periculi discrimine amici animus ad alias res (i. e. ad capitis periculum et querelam de Apolline) sit conversus. Huc accedit, quod, et si Orestes priorem cohortationem, quae tantum ad viam speculandum pertinet, v. 76 amplificaret, transitus

---

[1]) Behrns p. 12.

ab altera adhortatione ad Apollinem appellandum, i. e. ad rem plane diversam, celeritate valde offenderet; quae res intervallo, quod Kvícala post v. 76 statuendum esse arbitratur, non satis posse defendi mihi videtur.

Hartungius autem et Bergkius (Mus. Rhen. XVII. p. 588) versum 76 Oresti datum ante vs. 67 ponendum censent: ille, quod Pylades singula fere vocabula hortationis (vs. 67 et 76) in responso v. 68 repetat; hic cum ob eandem tum propter hasce causas. Primum quia versus 76 eo, quo in codicibus reperiatur, loco nec Orestis esse possit nec Pyladis. Nam si Oresti tribueretur, eum ad compellationem Apollinis insequentem non quadrare nec fidelissimum illum amicum de vigilantia debere commonefieri. Rectissime. Sin autem senarius Pyladi addiceretur, partes personarum confundi. De hac re supra satis dictum est. Deinde ad stichomythiae rationem restituendam versu 76 porsus opus esse. Quod argumentum ullius momenti esse nego, quoniam versus 70 delendus est. Vocabulum autem ἀλλά insolenter in initio diverbii positum uterque illorum hominum doctorum ita defendere studet, ut peregrinos inter se colloquentes scenam intrare arbitretur. Sed hic usus illius vocis nusquam in scriptis Graecis invenitur atque hic modus personas in scenam producendi a ratione veterum poetarum tragicorum plane alienus est. Apparet igitur, versum 76 Oresti tributum et eo quo in manuscriptis legitur et altero loco ansam praebere offensionis.

Restat igitur, ut in indicia, quae in initio huius disputationis protulimus, inquiramus, num versus ille, si post versum 75 retineatur, in Pyladis ore ferri possit.

Si quis dicat, eum repetere, quod modo dixerit, verba quidem eadem fere sunt, sed altero loco ad alteram rem pertinent. Ex verbis autem versuum 68 et 76 ullum suspicionis indicium repetendum nego, quia Euripides, praesertim si repetitionem ab auditoribus animadverti vult, eadem vocabula etiam alibi repetit. Iph. Taur. 733, 735 sq., 767 sq. Hippol. 1055 sq., 1321 sq., cf. ibid 425, 522; 1031, 1075, 1191.

Deinde quod ad argumenta utriusque loci attinet, Pylades, cum versum 68 ad viam visendam referat, templi situ explorato

et ara conspecta ad cetera loca imprimisque ad aedis aditus diligentius perspiciendos versum 76 vult spectare. Etenim cum Orestem angore affectum vss. 72—75 animadverterit, ipse nihil percussus melius quam ille videt quid nunc sit agendum. Hanc fuisse poetae sententiam, ex eo, opinor, apertum est, quod Euripides paulo post (v. 96) Orestem de Pylade sciscitantem facit, quid propter aedis murorum altitudinem faciendum sit. Quod cur quaeratur, multo melius intellegitur, si Pyladem antea templum vel aditus eius accuratius intuitum cognovisse statuimus. Quam enim aliam rem moliatur nisi hanc, dum Orestes Apollinem appellat? Huiusmodi res externas, quae in scena geruntur, poetae scenici, ut permultis constat exemplis, diligenter significare solent; atque id etiam de hoc loco valere arbitror. Itaque persuasum habeo, versum 76 esse Pyladis, neque in argumento verbisque eius esse offendendum.

Sed quo loco a poeta positus sit, constituendum videtur. G. Hermannus versum post trim. 71 collocavit, ut stichomythiam restitueret. Quae causa reicienda est, quoniam, ut supra demonstrare conati sumus, vs. 70 retineri non potest. Quam ob rem quia versu 76 cum colloquium aptissime concluditur, tum transitio ad sequentia fit multo facilior ac duo trimetri in fine stichomythiae singulorum versuum uni personae tributi nihil movent dubitationis (cf. Suppl. 161, Jon. 563, 1312, Hel. 594 etc.) versus ille suo loco depellendus non est.

Orestes Apollinem appellans queritur, quod Furiis agitatus exul vagus erret, et pergit

82. *ἐλθὼν δέ σ᾽ἠρώτησα πῶς τροχηλάτου*
μανίας ἂν ἔλθοιμ᾽ εἰς τέλος πόνων τ᾽ εμῶν,
84. *οὓς ἐξεμόχθουν περιπολῶν καθ᾽ Ἑλλάδα*

Praeter Witzschelium Klotzium Bauerum omnes editores Marklandum secuti versum 84 pro otioso subditicioque habent; namque censent eum, quia sub finem huius tragoediae (v. 1455), ubi necessarius sit, iisdem verbis legatur, illinc huc esse translatum. Quae sententia eo confirmatur, quod itinera erro-

resque, qui modo (vss. 79 sqq.) commemorati sunt, inutiliter repetunter. (G. Hermannus.) Neque ullius ponderis est argumentum Klotzii versum propterea servantis, quod Orestes Graeciae a se peragratae mentionem facere debeat, ut iter in Taurorum fines Apollinis oraculo initum opponat. Qua oppositione opus non est, quia spectatores iam e versibus 44 sq. coniicere potuerunt, unde peregrini essent profecti.

Quomodo autem interpolatio nata sit, non difficile est intellectu. Etenim grammaticus aliquis, qui, cum hanc fabulam usque ad v. 1456 legisset, superioris loci meminerat, quo de eodem Oreste stimulis Furiarum agitato vagatoque agitur, hic versum 1455 margini adscripsit, unde librarius una syllaba mutata post senarium 83 in textum eum inseruit.

Orestes, postquam cur in Taurorum fines venisset exposuit et conquestus est, quod Apollo non significasset, quomodo deae simulacrum caperetur, ignorans quid sit faciendum, ita loquitur:

Πυλάδη, σὺ γάρ μοι τοῦδε συλλήπτωρ πόνου,
τί δρῶμεν; ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὁρᾷς
ὑψηλά· πότερα δωμάτων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς . . . οὖν μάθοιμεν ἄν,
ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς,
ὧν οὐδὲν ἴσμεν;

G. Dindorfius eique astipulati Bernhardyus (Grundr. d. Gr. Lit. Gesch. II, pars. edit. III, 1872, p. 476) et Wilamovitzius (anal. III. 3, p. 205) versum 99 ab interpolatore profectum esse putant, quia (1) primum perturbet conexum eandemque in templum introeundi viam contineat atque eam, quae indicetur verbis *δωμάτων προσαμβάσεις ἐκβησόμεσθα*; (2) deinde vocabulum *χαλκότευκτα* nullo alio loco apud scriptores Graecos reperiatur. Putat autem Wilamovitzius, versum fortasse ab actore aliquo additum esse, ut particulae *πότερα* responderet altera *ἢ*, quod quidem illo iudice persaepe certum interpolationis indicium est. Quae opinio num recta sit, non satis perspicietur, nisi

totus locus inde a versu 95 usque ad vs. 100 diligenter examinabitur.

Nonnulli non recte interpretati sunt substantivum *τοίχων*. Handius (Annotat. in Euripid. Iphig. Taur. part. sec. Jenae 1832) et nuper Weilius *ἀμφίβληστρα τοίχων* intellegunt muros, quibus fanum saepitur. Si haec significatio recte se haberet, scribendum fuerat *ἀμφ. τειχέων*; *τεῖχος* enim est murus sine tecto; *τοίχῳ* vero tectum impositum est. *δώματος τοῖχος* Iliad. XVI, 212. *μεγάρου τοῖχος* ibid. XVIII, 374. Odyss. XIX, 37. *οἰκίας· τοῖχος* Plat. resp. 9, p. 574. C. — (Eurip. Jon. 1158: *τοῖχοι* parietes tentorii). Inde apparet, *τοῖχον* esse aedificii murum vel parietem, ergo *ἀμφίβληστρα τοίχων* significare muros aedis. Hanc significationem non difficile est etiam alia ratione comprobare. Etenim si *ἀμφίβληστρα τοίχων* ei quos illi putant muri essent, „haec saepta vix unquam tam alta erant, ut superari non possent." (Verba sunt G. Hermanni.) Ara autem extra ea esse nequit. Porro peregrini, praecipue Pylades, eam accuratius describunt (v. 72—75), id quod procul i. e. extra saepta certe non potuerant. Itaque ante ipsum templum stare putandi sunt. (Kvícala, Beiträge p. 214 sqq.) —

Videamus nunc, quid de verbis *δωμάτων προσαμβάσεις* statuendum sit.

Seidleri interpretationem putantis *δωμάτων πρὸς ἀμβάσεις* (ut scribit) valere occasiones ubi *ἀμβατόν ἐστι δῶμα*, veluti foramina intra intercolumnia (cf. v. 113), improbandam esse censeo. Primum praepositio *πρός*, ubicunque apud poetas tragicos cum substantivo *ἀμβάσεις* reperitur, ab eo non est separanda. Aesch. Septem 466, *κλίμακος προσαμβάσεις*. Eur. Phoen. 489, 1173. Bacch. 1213. Phoen. 744. Deinde vocabulum *ἀμβάσεις* non tam id significat ad quod ascenditur, quam id, cuius auxilio escenditur. Tum si is locus, quo num uti possit dubitat Orestes (v. 97 sq.), eiusdem generis esset atque is quem amicus v. 113 proponit, etiam de hoc loco dubitare debebat; sed de eo Pyladi totus assentitur (v. 118).

Heathius Handius G. Hermannus Hartungius G. Dindordorflus Kvícala Zieglerus Bauerus *δωμάτων προσαμβάσεις* ad eos

gradus retulerunt, quibus ascenditur in templum. Quam opinionem recte refutavit Bergkius (Mus. Rhen. XVII, p. 562 sqq.):

(1) Primum enim per se patere, si quis in aedificium in quod gradibus ascenditur, vellet introire, ei, ut usque ad portam veniret, hos esse ascendendos.

(2) Deinde hunc ascensum nimime difficilem esse neque, imprimis noctu (qua de re infra videas), perniciosum.

(3) Post de majore altitudine escendenda verbum *ἐκβαίνειν* esse usurpatum (Hesych.: *ἐκβῆναι ὄρος*; similia Phoen. 100. *κλίμακ᾽ ἐκπέρα ποδί.* Orest. 275 sq.: *ἐξακρίζετ᾽ αἰθέρα πτεροῖς.* Bacch. 677 sq. *πρὸς λέπας ὑπεξήκριζον*), de minore autem, ut de templi gradibus (cf. Witzschel. apud Pauly, Real-Encycl. VI, p. 1677) *ἀναβαίνειν.* (Hecab. 1263. *αὐτὴ πρὸς ἱστὸν ναὸς ἀμβήσει ποδί.* Demosth. Lept. p. 373. *ἀναβαίνειν ἐπὶ τὸ βῆμα*).

(4) Tum latos et altos gradus („Stufen"), qui iidem *κρηπίς* vel *κρηπῖδες* vel *κρηπίδωμα* (suggestus templi) essent, vocari *βάθρα* (Troad. 15. *πρὸς κρηπίδων βάθροις πέπτωκε Πρίαμος*); sed *ἀμβάσεις* vel *προσαμβάσεις* scalas (Stiegen, Leiter) apellari.

Quibus causis ductus et loco Pausaniae (V, 10, 10: *ἑστήκασι δὲ καὶ ἐντὸς τοῦ ναοῦ κίονες καὶ στοαί τε ἔνδον ὑπερῷοι καὶ πρόσοδος δι᾽ αὐτῶν ἐπὶ τὸ ἄγαλμά ἐστιν: πεποίηται δέ καὶ ἄνοδος ἐπὶ τὸ ὄροφον σκολιά*) nisus Bergkius *δωμάτων προσαμβάσεις* scalas esse censet, quibus extrinsecus non ad fores sed ad summam aedem, i. e. in superiores porticus sub tecto factas, ascendant; hinc simulacro potiri facillimum videri. At illum aditum, utpote quo locus facillime extrinsecus in aedem irrumpendi praebeatur, occludi oportere, quis est quin videat? Cuius argumenti vim ipse ita imminuere conatur, ut, esti hanc portam clausam esse veri simile sit, tamen claustrum eius facilius reserari potuisse arbitretur. Fortasse autem scala escensa in porticus illas superiores adulescentes saltu pervenire potuisse. Quae sententia, quamvis per se ferri possit, tamen reicienda videtur, quia ex hoc loco non perspicimus, num poetae animo aditus huiusmodi observatus sit.

Parum veri similis est opinio Klotzii, qui *δωμάτων προσαμβάσεις* gradus aut scalas aedificiorum prope templum exstructo-

rum esse putat, in quibus homines habitarent (cf. vss. 65 sqq.) undeque probabile sit, etiam fanum ipsum adiri potuisse. Quas aedes si Euripides in animo habuisset, certe ut vss. 65 sqq. ita etiam hoc loco accuratius significasset et ab aede, ante quam peregrini stant, aliquo modo distinxisset.

Quibus loci interpretandi conatibus refutatis ut, quid pro *δωμάτων πρ.* scribendum sit, facilius intellegatur, nonnulla de verbis *τὶ δρῶμεν; ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὁρᾷς ὑψηλά* proferenda videntur. His vocabulis G. Hermannus et Kvícala (Beitr. p. 214) Orestem declarare contendunt, muros non posse transcendi. Ac primo quidem obtutu hoc probabiliter dictum videtur esse; sed totius colloquii natura perspecta aliter sentiemus. Metu enim valde affectus, ne consilium non prospere eveniat, suo ipsius iudicio haud ita multum confidit; quam ob causam ex amico quaerit quid sentiat (v. 69, 72, 74) eiusque responsis contentus est. Hanc sui ipsius diffidentiam, dum ille de dolo querens ad Apollinem se convertit, non minutam esse ex eo apparet, quod compellatione finita statim profertur: *τί δρῶμεν;* Quare consentaneum existimo, Orestem hoc toto colloquio ut reliquas opiniones suas ita eam quoque causam, qua ductus illud interrogat (v. 96 sq.), Pyladi diiudicandam permittere; atque eo magis, quod haud multo post huius sententiae totus assentitur (v. 118). Et si ipse muros altiores putaret quam ut superarentur, quidni ex amico, qui loca, in quibus versantur, atque in his certe etiam muros templi (*ἀμφ. τοίχ. ὁρᾷς ὑψηλά*), accuratius inspexerit (cf. vs. 76; vide supra), cuiusque animus adhuc nihil est infractus, quaerat, num eos transcendi posse censeat? Quoniam igitur Orestem verbis illis nondum de muris diiudicare veri simillimum est neque in codicum lectione *δωμάτων πρ.* aptus sensus inest et muri scalis scanduntur, Kirchoffio Nauckio Weilio Weckleinio assentior, *κλιμάκων προσαμβάσεις* (quae voces saepe apud poetas tragicos inveniuntur, cf. supra) in textum esse recipiendum.

His rebus constitutis ad eam, quam nobis proposuimus, quaestionem propius accedamus.

98. *πῶς . . . οὖν μάθοιμεν ἄν,*

99. ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς,
100. ὧν οὐδὲν ἴσμεν.

In hac codicum scriptura, quam depravatam esse inter omnes constat, G. Hermannus eumque secutus Zieglerus particulam disiunctivam ἢ mutavit in interrogativam ἦ. Handius autem pro ἢ scripsit καὶ eiusdem significationis ac καίπερ locumque ita explicuit: „quomodo, etiam claustris solutis, cognoscamus, quae nobis sunt incognita? quid iuvat in templum irrumpere, in quo ignari locorum vix inveniemus, quam quaerimus statuam?“ Quas sententias Kvícala (Beitr. p. 214) iure reiecit. Neque enim intellegitur, cur, si Orestes foribus apertis num simulacrum inventurus sit dubitat, Pylades hos scrupulos ne commemoratione quidem dignos censeat neque Orestes eandem dubitationem contra id, quod Pylades v. 113 proponit, consilium in medium proferat. Quam ob rem sine dubio Orestes sibi persuasisse putandus est, si modo introiisset, se, quae ad statuam surripiendam necessaria essent, inventurum esse.

Eadem argumenta valent ad refutandas opiniones Seidleri Hartungii Bauerique, qui versum 99 loco suo moverunt. Aliae graves causae accedunt. Si Seidlerus trimetrum post v. 97 inserendum censet, etiamsi δωμάτων ἀμβάσεις intellegit occasiones, ubi ἀμβατόν ἐστι δῶμα, tamen verbum ἐκβησόμεσθα, ut ipse sensit, modo ad πρὸς ἀμβάσεις neque vero ad κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς quadrat. Post v. 100 autem, quo ab Hartungio et Bauero translatus est, importunae repetitionis offensionem praebet ac participium aoristi minus convenit ad praesentia ἀνοίγοντες et μηχανώμενοι. Neutra igitur harum transponendi rationum comprobanda, attamen nequaquam cum G. Dindorfio versus delendus est. Qui cur retinendus sit, paucis si placet quaeramus.

Iure quodam hic vir doctus conexum ita defendit (annal. philol. 1868. p. 469): quia Orestes modo narraverit, Apollinem nullo modo indicasse, qua ratione deae signum auferretur, et modo amicum interrogaverit τί δρῶμεν, arte coniuncta verba πῶς (ἄρ') οὖν μάθοιμεν ἂν ὧν οὐδὲν ἴσμεν; nihil movere offensionis. Sed praeter argumenta contra G. Hermannum

et Handium supra allata etiam ex aliis gravissimis G. Dindorfio non adstipulamur. Ex verbis enim ἢν δ'ἀνοίγοντες πύλας ληφθῶμεν εἰσβάσεις τε μηχανώμενοι θανούμεθα manifestum est, Orestem, quoniam in foribus aperiendis capitis periculum timet, portam templi patefacere antea habuisse in animo. Quam rem Dindorfius etsi non negat, tamen arbitratus vocabula (πότερα) δωμάτων προσαμβάσεις ἐκβησόμεσθα, si sententiam respicias, eandem significare rem ac versum 99 (ἢ) χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς facere non potest, quin hoc senario expuncto vss. 100 sq. ἢν δ' ἀνοίγοντες πύλας . . . . μηχανώμενοι ad membrum πότερα δωμάτων προσαμβάσεις ἐκβησόμεσθα referat. At audacius contendit aedis gradus ascendere idem esse ac claustra aerea vectibus aperire. Ideo voces ἢν δ' ἀνοίγοντες πύλας ad illud πότερα δωμ. προσ. ἐκβ., praesertim cum κλιμάκων προσαμβάσεις scribendum sit, spectare non possunt; pertinent autem ad. vs. 99. Ac cum particula τε etiam disiunctivam habeat significationem (Hel. 321. Soph. Oed. Kol. 390. Eur. Elect. 1025), nihil obstat, quominus vocabula εἰσβάσεις τε μηχαν. ad πότερα κλιμάκ. προσαμβ. referamus. Porro in adiectivo χαλκότευκτα offendendum esse nego, quandoquidem multa ἅπαξ λεγόμενα, ut vocantur, apud poetas reperiuntur nec praeter hanc levem causam ulla alia est, quae moveat suspicionem. Quibus ex rebus breviter disputatis potest satis intellegi, versum 99 interpolatori non esse tribuendum.

Sequitur, ut disseramus, quomodo emendandus sit.

Wilamovitzio auctore codices P (apud Kirchhoffium B) et C pro μάθοιμεν exhibent λάθοιμεν, quod iam Reiskius conieceraт. Hanc scripturam, quam Marklandus Matthiaeus Kirchhoffius Nauckius Bergkius Weilius comprobant, defendit Matthiaeus ita: „quum duplex, inquit, ratio in templum introeundi proposita esset, altera in scandendis parietibus posita, altera in claustris aperiendis, ad utramque addi oportebat, cur ea uti non liceret. Scandere muros non poterant nisi clam, omnibus arbitris remotis: quod an fieri possit, dubitat Orestes. Ad claustra aperienda necesse erat scire, quomodo illa aperirentur; quod non magis scire se fatetur Orestes.“

Contra contendit Handius, huiusmodi orationem non prudentis sed admodum stolidi esse hominis. Nam, ut verbis illius utar, dubitare quidem ille poterat de via ac modo agendae rei, fortasse etiam desperare de eventu: at stultitiae erat, in ipsa re aggredienda profiteri, se nihil scire, nec quomodo delitesceret in ascendendo muro." Haec postrema sententia, quamquam si universe intellegitur, veri similitudinem quandam habet, tamen num hoc loco recta sit valde dubito. Etenim Orestes ut vs. 100 sq. cum amico communicat, cur de conatu portam aperiendi desistere debeat, ita etiam v. 98 addere potest, vel potius propter orationis concinnitatem addat necesse est, cur fieri nequeat, ut muri superentur. De lectione *λάθοιμεν* autem haec mihi dicenda videntur. Peregrini, ita fere non sine veri similitudine quadam disputat Hartungius, sub lucem (cf. v. 42) non eo consilio in scenam prodierunt, ut deae simulacrum statim auferrent, sed ut situm fani et naturam specularentur (v. 67—76) ac constituerent, quomodo ex aedificii conditione noctu statuam surriperent (cf. v. 110). Itaque cum aedem, quam petunt, cognoverint, proximum est, ut explorent, qua ratione nunc introeant. Quoniam autem sub solis ortum periculum est, ne muros escendentes hominum oculos in se convertant, haud inepte Orestes sciscitari videtur: *πῶς . . . οὖν λάθοιμεν ἄν*; Quae quidem interrogatio minus apto collocata esset loco, si Orestes metueret, ne nocte socia delitesceret; quare, ut opinor, eandem dubitationem contra simile illud Pyladis consilium non profert. Schenkelius, cui dubitanter assentitur Weckleinius, proposuit coniecturam *πῶς ἂν ἐσέλθοιμεν ἄν* (Philol. XX. vol. p. 328).

Atque ut ad alteram Handii sententiam revertamur, per se intellegitur, eum, qui clausam portam aedificii, quod numquam antea iniit, aperire vult, claustra ignorare. (Bergk.) Porro Kvícala monuit, Orestem, si nesciret, quomodo fores ex interiore parte clausae et aperiendae essent, facere non posse, quin eas patefacere velle desisteret. Hanc ob causam non perspici, cur statim pergeret *ἢν δ' ἀνοίγοντες πύλας ληφθῶμεν*; sic enim periculum ab eo diserte describi, quod ne auderet quidem obire. Huc gravissima causa accedit, quod

requiritur, ut dicatur, quomodo in templum irrumpant. Inde satis perspicuum est, etiam membrum *ὧν οὐδὲν ἴσμεν* esse mutandum.

Omnium primus Badhamus perspexit, quibus in verbis vitium inesset, ostenditque qua ratione locus esset corrigendus. Commendavit autem hanc emendationem minus sensui quam litteris librorum accomodatam *ὧδ' οὐδὸν ἔσιμεν*, quam Schenkelius appellavit „palmarem", Kirchhoffius et Nauckius in textum receperunt. cf. de *ὧδε* Aesch. Prom. 512. Audacius quam par est eam defendit Kvícala ratus limen esse primam interioris domus partem et, cum limine intrato peregrini statim in interiorem aedem longius progrediantur, *οὐδὸν εἰσιέναι* per immutationem esse dictum. Recte Badhami sententiam refutat G. Dindorfius (l. c.), quia non in limen, sed trans limen introeant et Graeci saepe usurparint *ὀδὸν* vel *βηλὸν ὑπερβαίνειν* (similiter Med. 382: *δόμους ὑπερβαίνειν* Ion. 514), sed nusquam *εἰς ὀδὸν* vel *εἰς βηλὸν ἰέναι*; accedere quod ionica forma *οὐδός* in prosa oratione nullis aliis reperiatur locis nisi iis, quibus illud Homeri *ἐπὶ γήραος οὐδῷ* scriptorum animis obversatum sit. Dem. enc. 49. Lucian. apol. 4. Hyperid. contra Demosth. *ἐπί γήρως οὐδῷ*. (cf. Pollux II, 15) Lycurg. Leoc. § 40. Plat. resp. 1. p. 328 E. Quas difficultates non superavit Bergkius cum scripsit *τὸν οὐδὸν ἔσιμεν*.

Alii alia ratione Badhami emendationem variando locum restituere conati sunt. Kvícalae coniecturae

> *πότερα δωμάτων προσαμβάσεις*
> *ἐκβησόμεσθ', ὅπως ἂν οὖν μάθοιμιν ἄν,*
> *εἰ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς*
> *ὧδ' οὐδὸν ἔσιμεν;*

ut alia omittam, propter soloecismum *ὅπως ἂν . . μάθοιμεν* reicienda est. Praeterea parum probabiliter coniecit Koechlyus (emend. part. I. p. 12)

> *ἢν χαλκότευτκα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς*
> *ὧδ' εἰσίωμεν;*

sensu quidem apte sed nimis audacter Nauckius *θύραθεν ἔσιμεν*; sententia idonea Koechlyus (in Schoenii edit.) *ὧδ' ἱερὸν ἔσιμεν*, Weckleinius *ὧδ' ἄδυτον ἔσιμεν*, Weilius *ἀν' οὖδας*

ἔσιμεν. Fortasse poeta scripsit ὡδ' οἶκον ἔσιμεν. οἶκος templum significat Phoen. 1373: βλέψας πρὸς οἶκον ηὔξατ' ὦ Διὸς κόρη. Ion. (157) 513: κατ' οἶκον (templ. Apollinis), ibid. 1549: οἴκων θυοδόκων. Plat. Phaedr. p. 246. E. Helen. 1167: εἰσιὼν δόμους. Alc. 563. εἰσελθεῖν δόμους, ibid. 1114. δώματ' εἰσελθεῖν, Helen. 327: σοί συνεισελθόντι ματεῖον. Soph. Trach. 1167: ἐσελθὼν ἄλσος. Metzgerus denique neque facili neque probabili mutatione locum ita scribendum putat:

πότερα κλιμάκων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα· πῶς ἄρ' οὖν λάθοιμεν ἄν;
ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς;
τοῦτ' οὖν ἓν ἴσμεν· ἤν τε.

Locus igitur ita legendus videtur:

94. τί δρῶμεν; ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὁρᾷς
ὑψηλά· πότερα κλιμάκων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς ἄρ' οὖν λάθοιμεν ἄν;
ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς
ὧδ' οἶκον ἔσιμεν; ἢν δ' . . .

Versus 116. οὔτοι μακρὸν μὲν ἤλθομεν κώπῃ πόρον,
117. ἐκ τερμάτων δὲ νόστον ἀροῦμεν πάλιν

expungunt G. Dindorfius et Wilamovitzius (Anal. III, 8. p. 224), quia eo, quo reperiantur in codicibus, loco nec Orestis nec Pyladis esse possint.

Nonnullos editores in eo errasse, quod Marklandum secuti hoc loco versus Pyladi tribuerunt, non difficile est perspectu. Namque Pylades si post generalem sententiam pronuntiatam concluderet orationem illis verbis, languidissimam eam redderet (Badh. Weckl.); neque huiusmodi conclusio apud Euripidem usquam invenitur. Praeterea, ut Badhamus recte adnotat, Pylades repeteret, quod iam initio dixit. Inde etiam hoc apparet, neque ante versus 104—115 neque intra eos trimetros illos a Pylade posse in medium proferri. Quaerendum igitur est, num sententia eorum, qui eos Oresti dederunt, comprobari queat. Bergkius (Mus. Rhen. 17. vol. p. 593) eos post vs. 103 collocandos esse censet. At si Orestes ipse

fugam tantopere spernit, non intellegitur, cur Pylades (v. 104) eandem sententiam multo vehementius repetat (cf. Weckl. Stud. p. 391). — Klotzius autem Kirchhoffius Badhamus Nauckius Rauchensteinius Kvícala (Beitr.) versus illos suo et proprio loco retinent. Neque iniuria. Namque quoniam, ut supra (ad v. 99) ostendere conati sumus, Orestes in hoc diverbio opiniones suas diiudicandas Pyladi permittit, veri simillimum esse puto, ex poetae sententia illum, praesertim cum vss. 321 sq. et 605 sq. mortis periculo nequaquam deterreatur neque ullo modo ignavus sit, vss. 102 sq. non hortari, ut fugiant, sed etiam de fuga modo rogare ut cognoscat, quid amicus de hac sentiat. (Quapropter, ut Kvícala quoque et Bergkius arbitrantur, post v. 103 interrogationis signum ponatur necesse videtur). Sed multum abest, ut fortissimus ille Pylades eam comprobet. Cuius argumentis convictus Orestes amici sententiam nova causa confirmans[1]) aptissime respondet: „Non sane, postquam longum iter perfecimus, re infecta fugiemus. Sed, quia recte dixisti, tibi parendum est". Vides igitur ordinem cogitatorum non praebere ansam offensionis. Item vocabula non offendunt. Attamen nonnulli editores vocem *οὔτοι* mutaverunt. Baueri coniectura *ἤτοι* vis orationis minuitur. Idem argumentum valet ad refutandum *οὔτω*, quod interrogationis signo post *πάλιν* posito Badhamus scribendum censet et quod Nauckius in textum recepit. Obstat huic scripturae etiam sententiarum concinnitas. cf. Rauchenstein. p. 6. In verbo *ἀροῦμεν* autem, — cuius prima syllaba, quia brevis esset, metrum violari Marklandus opinabatur —, cum ex *ἀεροῦμεν* contracta sit, non est offendendum. cf. Troad. 1148.

γῆν τῷδ᾽ ἐπαμπισχόντες ἀροῦμεν δόρυ.

Heraclid. 322. Buttmann, Ausführl. Sprachl. II. p. 100 sqq. Porson. ad Med. 848. Matthiae. ad Med. 841. Veitsch. Greck verbs irregular and defective p. 29. Constructionem enuntiati haud raro apud Graecos reperiri vix est quod addam. cf. Buttm. gr. gr. § 149. 11.

---

[1]) cf. Kvícala, Beiträge p. 224.

256. ἐκεῖσε δὴ 'πάνελθε, πῶς[1]) νιν εἵλετε
257. τρόπῳ θ' ὁποίῳ. τοῦτο γὰρ μαθεῖν θέλω.
258. χρόνιοι γὰρ ἥκουσιν, οὐδέπω βωμὸς θεᾶς
259. Ἑλληνικαῖσιν ἐξεφοινίχθη ῥοαῖς.

Versus 257-259 Badhamus (cf. Schenkl. Philol. XX. p. 328), vss. 258 sq. cum Monkio Wilamovitzius (Anal. p. 244) interpolatorem sapere arbitrantur. Quibus de causis, non addunt.

Iphigenia, cum morae impatiens bubulcum unde aberravit redire iusserit, sine dubio huic interrogationi permultum ponderis tribuit. Cur autem tribuat, Euripides satis apte propterea addit, quia Iphigenia initium orationis suae proximae (342 sqq.) non solum postremis pastoris verbis verum etiam argumento vss. 256-259 annectit, ut conexus hic sit: Iphigenia amissi, ut opinatur, fratris dolore vehementer commota, cum advenas esse Graecos audiverit, aptissimam huius mortis ulciscendae occasionem invenisse sibi videtur. Cui quidem cogitationi per longiorem armentarii orationem adeo se dedit, ut huius oratione usque ad finem perducta facere non possit, quin statim dicat, quid sentiat. Itaque versibus 257—259 remotis haec sententiarum maxime idonea coniunctio tollitur; praeterea vis illius interrogationis imminuitur.

Sequitur, ut singula perscrutemur. Pro ἥκουσιν, quod codices exhibent, ἥκουσ' metri causa esse scribendum dudum intellectum est. In verbis autem ἐξεφοινίχθη ῥοαῖς non inest, quod sit mutandum. Nam e verbo ἐκφοινίσσειν manifestum est, ῥοάς esse sanguinis rivos. Phoen. 41 sq.

πῶλοι δέ νιν
χηλαῖς τένοντας ἐξεφοίνισσον ποδῶν.

Soph. Ai. 110. μάστιγι φοινιχθείς. Eur. Orest. 1285 (lyr.) σφάγια φοινίσσειν. Adiectivum χρόνιος autem coniunctum cum verbo veniendi haud raro reperiri notum est. Orest. 740 sq. ἀφιγμένος; χρόνιος. Helen. 1232: χρονία ἦλθεν. ibid. 566: χρόνιος ἐλθών. Ion. 403. — Porro in οὐδέπω, quod G. Hermannus Kirchhoffius G. Dindorfius retinent, reliqui critici recentiores offenderunt, quia, ut opinor, coniunctio

---

[1]) ποῦ probabiliter coniecit Elmsleius.

verborum *χρόνιοι ἥκουσ' οὐδέπω* ferri nequeat. Quae quidem res quomodo se habeat, paucis quaeramus. Attici et rerum scriptores et poetae eas enuntiationes, quae temporis notionem continent, nonnunquam cum copulativis particulis coniungunt, pro quibus tales, quales sunt *ὅτε ἡνίκα*, exspectares. Pro *ἤδη (τε) ἦν* cum temporis notione et *ἡνίκα* vel *ὅτε* saepe reperimus *ἤδη (τε) ἦν ... καί.* Xen. exp. I. 8. 1, II. 1. 7. IV. 6. 2. VI. 4. 26. Soph. Philoct. 354 sq.

ἦν δ' ἦμαρ ἤδη δεύτερον πλέοντι μοι
κἀγὼ . . . . κατηγόμην.

Exstat apud Xenophontem (exped. I. 8,8) *καὶ ἤδη τε ἦν μέσον ἡμέρας καὶ οὔπω καταφανεῖς ἦσαν.* Attamen parum veri simile videtur, eo qui est propositus loco poetam scripsisse *χρόνιοι . . . . οὐδέπω* (i. e. *ὅτε οὔπω*). Nam cum in exemplis modo allatis tempus enuntiatorum particula *καὶ* coniunctorum idem sit, vss. 258 sq. diversa tempora continentur. Et quoniam peregrini nisi ex eo tempore, quo Graeci Dianae postremum mactati sunt, *χρόνιοι* venisse dici non possunt, quis est, cui hic sensus probetur: postquam inde a postrema Graecorum immolatione longum tempus praeteriit, venerunt, cum ara sanguine Graecorum nondum aspersa est? Ex iis, quae supra docuimus, elucet, opinionem, quam G. Hermannus nixus Oed. tyr. 717 sq. *παιδὸς δὲ βλάστας οὐ διέσχον ἡμέραι τρεῖς καί νιν . . . ἔρριψεν* protulit, cum G. Dindorfio reiciendam esse. Censet enim ille vir doctissimus, *οὐδέ πω* sic dictum esse, ut verba „diu est et nondum sacrificati sunt Graeci“ significent „diu est ex quo non sunt sacrificati,“ quam interpretationem haud iniuria Hartungius vocat cavillationem. Si autem vocem *οὐδέπω* interpretamur „necdum“ et ad id tempus referimus, quod interest inter postremi Graeci sacrificationem et Orestis Pyladisque adventum, haec inepta sententia nascitur: postquam ex postrema Graecorum immolatione longum tempus praeteriit, venerunt, necdum (intra hoc longum temporis spatium) . . . ara aspersa est. Similiter disputat Kvícala (Beitr. p. 233 sq.) adverbium *οὐδέπω* minus apte interpretans „nunquam.“ Apparet igitur emendatione prorsus opus esse.

Perversum esse *οὔτε*, quod Witzschelius proposuit, nemo

non videt. Marklandi coniecturam *οὐδ' ὅπως* iure refutavit Seidlerus; Madvigiana *οἶδ' ἀφ' οὗ* et Heathiana *ἐξ ὅτου* (Heracl. fur. 702), quam Koechlyus Nauckius Zieglerus in textum receperunt, quamvis conexui aptae tamen quia a codicum lectione nimium recedunt non sunt veri similes. Et nexu autem et scriptura valde probabilis est emendatio Erfurdtii (cf. Seidler.), quae probatur Seidlero Hartungio Weilio Bauero Weckleinio: *οἶδ' ἐπεὶ.* Heracl. 9. *νῦν δ' ἐπεὶ κατ' οὐρανὸν ναίει.* Med. 138. *ἐπεί μοι φιλία κέκραται,* („ex quo amicitia mihi cum hac domo intercessit. Porson.) ibid. 26. Orest. 77. Soph. Antig. 15. Aesch. Agam. 40. — Stichomythia denique minime violatur, si, ut saepissime fit (Hipp. 353. Bacch. 1303. Hel. 317. Heraclid. 641. etc.), pluribus versibus finitur.

Orestes et Pylades templo locisque propinquis accurate cognitis consilioque noctu in aedem irrumpendi inito, ne ab ullo homine conspicerentur neve regi terrae Tauricae proderentur, usque ad illud tempus prope mare antro se occultare voluerant. At contra opinionem oculos armentariorum in se converterunt ac pugna fortiter pugnata a permultis hostibus capti sunt. Quod quomodo factum sit, bubulcus quidam, more hominum huiusmodi, fusius describit. Hanc accuratam longioremque narrationem compluribus locis interpolatione inquinatam esse nonnulli viri docti censent. Quorum de sententiis quid statuendum sit, nunc accuratius anquiratur.

Versus 273. *ἢ Νηρέως ἀγάλμαθ', ὃς τὸν εὐγενῆ*
274. *ἔτικτε πεντήκοντα Νηρῄδων χόρον*

spurios notavit Schenkelius (Philol. XX. p. 328).

(1) Ac primum quidem contra horum versuum sententiam proferri potest, Nereo filios non esse; deinde

(2) *ἀγάλματα* i. e. delicias (carissimos liberos) vocabulum poeticum nisi in canticis non adhiberi. Eur. Suppl. 370. *ματέρος ἄγαλμα*; Soph. Ant. 1116 *Καδμείας νύμφας ἄγαλμα.* Aesch. Agam. 207 (Dind.) *τέκνον δόμων ἄγαλμα*; tum

(3) Nereidum chori mentionem esse supervacaneam.

Particula *εἴτε* (v. 272) significat germanice „oder wenn," (Eur. Troad. 874 sq. *κτανεῖν ἐμοί νιν ἔδοσαν εἴτε μὴ κτανὼν θέλοιμ' ἄγεσθαι πάλιν ἐς Ἀργείων χθόνα.* fragm. incert. 103. cf. Pflugk ad Eur. Hel. 877), ut prius membrum in iis, quae antecedunt, iam insit; quod cum non intellexerit, interpolatorem, ut particulam, quae voci *εἴτε* responderet, insereret, versus illos addidisse possit sane aliquis conicere.

Verba *Νηρέως ἀγάλματα* non habere, in quo offendas, recte docet Bauerus (progr. p. 9.). Pastor enim cum daemones (v. 267 sq. *δαίμονες . . . οἵδε* in universum dictum est) illic sedere audiverit, tamen neque utrum dei an deae nec quot sint scire potest. Quas res quominus statim ab initio accuratius cognosceret, eo impediri potuit, quod illi nimis procul sedebant neque ipse religionibus admodum deditus tranquillo animo eos aspicere studebat. Itaque primo unum, Palaemonem solum, adorat. Postquam autem numero perspecto eos appellavit Dioscuros, oculis suis ipsius haud ita fisus liberos dei maritimi vocat (v. 273) atque adhuc dubius qui sint, voce media *ἀγαλμάτων* (deliciarum) utitur, quo quidem blando vocabulo, cum vera nomina se affere posse desperet, deorum quos putat benevolentiam favoremque facilius ac magis se sibi conciliaturum esse sperare potest. Nereidum chorus autem in iis, quae sequuntur, ideo commemorari videtur, quod Nereo, quandoquidem ei tot liberi sunt, illos quoque esse posse armentarius putat. Ceterum cf. adnot. Koechlyi. Quae quidem opinio a tali homine, qualem Euripides depingere voluit, aliena non videtur.

Iam quae supersunt singula videamus. *εἴτε . . . ἤ* reperitur Plat. legg. V. p. 739, IX. p. 862. Phaed. 277 d., republ. III. p. 533 b., Aristoph. nub. 272 sq. Quoniam bubulcus versibus 270 sq. pronuntiatis deorum quos putat numerum perspicit, a senario sequente coniicere incipit (cf. supra), quinam ambo esse possint. Quam ob rem particula disiunctiva *ἤ*, qua saepius indicatur interpolatoris additamentum, hoc quidem loco in suspicionem vocanda non videtur. Ceterum Euripides triplici deorum invocatione hominem superstitiosum fortasse propterea

utentem facit, quia numerus trium rerum sanctus erat. Verg. Ecl. VIII. 73. numero deus impare gaudet.

(Aesch. Choeph. 244. sq. Theocr. II. 43.

ἐς τρὶς ἀποσπένδω καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ).

cf. praeterea Iph. T. v. 285 sqq. Heracl. fur. v. 944. Helen. 23. Med. 148. 250 sq. Verbum *τίκτειν* autem de patre usurpatur: Orest. 239. *ἔτεκε Τυνδαρέως . . γένος θυγατέρων*. Bacch. 467. *Ζεὺς νέους τίκτει θέους*. Troad. 458. *χὠ τεκὼν ἡμᾶς πατήρ*. Heracl. fur. 2 sq. *ὅν Ἀλκαῖός ποτε ἔτικθ᾽ ὁ Περσέως*. ibid. 76. *ζητοῦσι τὸν τεκόντ᾽* (Heraclem). Iph. Taur. 363. *γονάτων τε τοῦ τεκόντος ἐξαρτωμένη*. Suppl. 1134. (chor.) Orest. 98. (chor.).

Quae cum ita sint, ego persuasum habeo, versus 273 sq. esse servandos.

Illius pastoris deorum reverentis preces alter, homo petulans licentiaque audax, risit ac peregrinos illos esse nautas naufragos contendit, qui metu moris Taurici advenarum mactandorum commoti in locum praecipitem confugissent. Quae posterior opinio in libris manuscriptis mandata est his verbis:

276. *ναυτίλους δ᾽ ἐφθαρμένους*
θάσσειν φάραγγ᾽ ἔφασκε τοῦ νόμου φόβῳ,
278. *κλύοντας ὡς θύοιμεν ἐνθάδε ξένους.*

Cur, ut Herwerdeno videtur (cf. Nauckii annot. crit.), senarius 278 proscribendus sit, equidem non perspicio. Nam si versus abesset, quia morem istum armentarius antea nondum commemoravit, non satis intellegeres, quinam mos animo huius observetur.

Dum bubulci peregrinos victimas Dianae capere constituunt, Orestes in furorem incidit ac gladio destricto in boum gregem tamquam in Furias irruit. Quo impetu facto amici sine mente ac sine ullo sensu collapsi curam Pylades habuit eumque contra permultos lapides in eum missos peplo

tuitus est. His rebus relatis armentarius ille de Oreste loquens narrare pergit:

315. *ἔμφρων δ' ἀνάξας ὁ ξένος πεσήματος*
ἔγνω κλύδωνα πολεμίων προσκείμενον
317. *καὶ τὴν παροῦσαν συμφορὰν αὐτοῖν πέλας*
ᾤμωξέ θ'.

Versum 317 e scholiis ad vocabula *κλύδωνα* et *προσκείμενον* spectantibus conflatum interpolatori tribuit Fr. G. Bothius; Nauckius quoque trimetrum abesse mavult.

„Quamquam *πέλας παρεῖναι* exemplis defendi posset, hic certe ea constructio languidissimam sententiam praeberet, intellexit hostes ingruere et calamitatem appropinquare; neque si hoc dicendum esset, articulus adhiberi posset. Itaque haec ita capienda puto: *ἔγνω ταύτην συμφορὰν πέλας αὐτοῖν οὖσαν, ἥπερ νῦν πάρεστι,* sc. ut capti ante aram Dianae mactentur.“ Haec Badhami interpretatio comprobanda mihi videtur. Cum pastores, peregrinos timore crudelis illius moris Taurici impulsos in specum se abdidisse opinati (vss. 277—279), hostias deae eos venari consilium ceperint, minime mirum est, quod bubulcus, qui hanc venationem describit, Orestem propter immolationem eiulasse sibi persuasit. Atque Orestes, qui prae multitudine hostium ipsum adorientium (cf. vss. 306. 318 sq. 328) occasionem evadendi nusquam oblatam videat, facile eo potest adduci, ut capitis periculum recordetur, quod sibi et amico, si caperentur, imminere antea cognoverat (v. 75). Itaque versum 317, quamquam, si eum expunxeris, nexus sententiarum non perturbabitur, servari posse existimo.

Versum 339. *δίκας τίνουσα τῆς ἐν Αὐλίδι σφαγῆς* suspectum habet Nauckius, propterea, ni fallor, quia eadem fere, quae modo dicta sint, repetantur. Sane quidem. Sed conexu accurate examinato huic opinioni assentiri non possumus. Etenim armentarius advenarum et virtutem (v. 297, 304) et integritatem (v. 336) tantopere admiratur, ut sibi persuaserit, Graeciam hos praestantissimos viros (cf. v. 459: *ἀκροθίνια*; [474: *οἵων στερεῖσα διπτύχων νεανιῶν*]) amittentem poena affici gravissima. Quare cum v. 336 et iterum v. 338 graviter

eos laudibus extulerit, non est mirandum, quod, cum perorans arbitretur, Iphigeniae se iucundum attulisse nuntium aptam ulciscendi occasionem esse oblatam, poenam illam copiosius exprimit. Quae si tam magna vi in medium profertur, multo magis cum ultionis cupiditate congruit, de qua paucis versibus interpositis Iphigenia loquitur (vss. 348—353). Huc accedit, quod in verbis ipsis nulla inest difficultas. Eadem verbi *τίνειν* constructio reperitur: Orest. 1090: *ὧν σὺ νῦν τίνεις δίκας.* 531. Heracl. fur. 734. *τίνων τε τῶν δεδραμένων δίκην.* — Orest. 7: *τίνει ταύτην δίκην.* Med. 767. 802. (Heracl. 852, 882).

Praeterea de repetitione illa haec dicenda esse videntur. Saepius apud Euripidem enuntiata inveniuntur, quae copiosius iterum exprimant quod brevius iam significatum est, ut magis iucundae ubertatis quam inanis redundantiae species nascatur. Heracl. fur. 755 sq. Iph. Taur. 365 sqq. Andr. 712. Helen. 605 sq. Helen. 23, 26. Troad. 961 sq. Androm. 976. Sed longum est omnia enumerare exempla. Ex iis autem, quae attulimus, satis evidenter apparet, in ea, quam hic reperimus, amplificatione minime esse offendendum, praesertim cum ea concludatur oratio.

Simulac bubulcus accurate narravit, quomodo Orestes et Pylades comprehensi essent, Iphigenia eos produci iubet et secum ipsa hoc modo loquitur:

344. *ὦ καρδία τάλαινα, πρὶν μὲν εἰς ξένους*
γαληνὸς ἦσθα καὶ φιλοικτίρμων ἀεί,
εἰς θοὐμόφυλον ἀναμετρουμένη δάκρυ,
Ἕλληνας ἄνδρας ἡνίκ᾽ εἰς χέρας λάβοις.
νῦν δ᾽ ἐξ ὀνείρων οἷσιν ἠγριώμεθα,
349. *δοκοῦσαν Ὀρέστην μηκέθ᾽ ἥλιον βλεπεῖν,*
δύσνουν με λήψεσθ᾽, οἵτινές ποθ᾽ ἥκετε.
351. *καὶ τοῦτ᾽ ἄρ᾽ ἦν ἀληθές, ἠχθόμην, φίλαι.*
352. *οἱ δυστυχεῖς γὰρ τοῖσιν εὐτυχεστέροις*
353. *αὐτοὶ κακῶς πράξαντες οὐ φρονοῦσιν εὖ.*

Quibus e versibus complures apud nonnullos viros doctos gravissimas moverunt dubitationes.

Versum 349 ut interpolatoris additamentum abiecit Nauckius. Concedendum quidem est, hoc versu omisso sensum non interrumpi. Verum eo interposito non solum non perturbatur, sed etiam multo clarior fit. Accedit quod parum veri simile videtur, Iphigeniam, quae dolore mortui fratris vehementer commota, ubicumque occasio offertur (v. 373. 474 sq. 989 sq.), hunc in memoriam revocat, ipsam causam, cur in Graecas victimas animum mutaverit, fratris mortem dico, pluribus hic non commemorare. Vitiosam scripturam *δοκοῦσαν*, pro qua *δοκοῦσ'* recte reposuit codicis C corrector (cf. Wilamovitz. p. 7 et 30), errore librarii ex sequente *δύσνουν με* ortam esse non difficile est intellectu. Singularem autem numerum participii cum plurali verbi apud poetas coniungi multis exemplis confirmatur. Iphig. Taur. 578 sq. *ἥκομεν* .. *σπεύδουσα.* Heracl. fur. 858 *μαρτυρόμεσθα δρῶσ'.* Ion. 1250 *διωκόμεσθα . . . κρατηθεῖσ'.* Heracl. fur. 1206 *ἱκετεύομεν . . προσπίτνων.* cf. Lobeck ad Soph. Ac. 191. p. 152. — (Similiter Iph. T. 620 sq. Iph.: *κείμεθ'* . . . Or.: *θύουσα.*)

Trimetro 351 ante vs. 350 posito versus 352 sq. subditicios esse iudicat Schenkelius (Philol. Anzeiger 1873 Suppl. I. p. 656); quibus de causis, non addit. Tres illos senarios interpolatorem sapere arbitratur F. G. Schmidtius (annal. philol. 1864. p. 225). Nam suspiciosa esse vocabula *εὐτυχεστέροις αὐτοὶ κακῶς πράξαντες* atque indicandum fuisse, res adversas, quibus Iphigenia hoc tempore uteretur, maiores esse quam in quibus antea esset versata eamque propter hanc ipsam auctam calamitatem infenso esse animo.

Inde apparet, summam huius quaestionis esse positam in versibus 352 sq. examinandis. Quos cum perscrutati erimus, pauca, quae de v. 351 dicenda sunt, afferamus.

Non sine causa F. G. Schmidtius contendit, vss. 351—353 deletis commemorationem Helenae et Menelai (vss. 354 sqq.) apte adnecti ad verba *οἵτινές ποθ' ἥκετε.* Sed versus si expungi possunt, tamen non debent.

Quae sententia versuum 352 sq. esset, critici alii aliter explicare studuerunt. Klotzius Schoenium secutus hanc interpretationem commendavit: miseri, ex quo adversa fortuna usi sunt, felicioribus non bene cupiunt; Koechlyus (cf. annot. sub textu edit. Schoen. allatas): miseri, quia infelices facti sunt etc. Bauerus (progr. p. 10) locum vertit et exposuit ita: „Ii, inquit, qui in malum incidunt, aliis, felicioribus (i. e. iis, qui non in pari calamitate sunt atque alii — solchen, die nicht in der gleichen Lage sind —) malevoli sunt. Quod proverbium quam verum esset, Iphigenia, quia ei sacerdoti feliciori hostiae humanae odium suum ostenderunt, ipsa intellegere poterat.“ Sed Bauerus argumenti versuum 344—347 non recte rationem videtur habuisse. Ex his enim non tam id colligendum esse puto, peregrinos, qui Iphigeniae, priusquam Orestem mortem obiturum in somnio videret, immolandi tradebantur, odium in eam indicasse, quam potius id, infelices infelicioribus (i. e. victimis) fuisse benevolam (vide infra). Accedit quod ex Baueri interpretatione voces *οἱ δυστυχεῖς* (i. e. qui semper miseri sunt) et *αὐτοὶ κακῶς πράξαντες* (i. e. cum ipsi calamitate sunt affecti) aptum sensum non praebent. Quarum dictionum utramque simul spectare ad advenas illos, nulla re poeta indicavit; quadrat *αὐτοὶ κακῶς πράξαντες*, quoniam capiebantur, ut supplicium subirent; sed non elucet, num iidem iam antea fuerint *δυστυχεῖς*.

Aliam viam loci interpretandi iniit Seidlerus, cum pro *κακῶς* in textum recepit *καλῶς*, quod G. Hermannus G. Dindorfius Nauckius comprobant. Nonnulli autem critici, cum notionem temporis desiderarent, complures proposuerunt mutationes: Hartungius *αὖθις* (quod vocabulum Hesychio auctore idem valeret ac *πάλιν* vel *ἐξ ἀρχῆς*) *καλῶς*; G. Dindorfius *πάλαι καλῶς*, quam mutationem Zieglerus in textum inseruit; Koechlyus (cf. appendicem edit. Schoen.) *τὸ πρὶν* vel *πάρος καλῶς*; vel *αὐτοὶ πρὶν εὖ*; Rauchensteinius *αὐτοί ποτ' εὖ*.

Omnes viri docti, quorum sententias adhuc protulimus, manuscriptorum lectionem *εὐτυχεστέροις* retinent neque facere possunt, quin ad Helenam et Menelaum (cf. vss. 354 sqq.) referant. Nam sine dubio hos, non advenas illos, utpote qui

mactentur, Iphigenia feliciores quam se ipsam patria privatam nunc ducere potest (cf. vs. 527). Quamquam ita artus cogitatorum nexus videtur oriri, tamen argumentum versuum 342—350 (imprimis 342—347) magis quam par est in illa sententia generali neglectum esse putaverim. Quae quia cum his senariis arte cohaeret ad eosque spectant omnia eius vocabula praeter *εὐτυχεστέροις*, meo quidem iudicio consentaneum est, eam complecti omnia modo praegressa atque universe id, quod antea ex parte dictum est. Iphigeniam autem, quia vss. 344—350 nisi de animo in victimas non loquitur, sententiam illam ad hos revocare et quasi excusare velle existimo, quod animum in advenas mitem subito immutaverit. Qui (in iis etiam Helena et Menelaus, dummodo in Taurorum terram venerint,) cum supplicium capitale sint subituri, feliciores quam Iphigenia certe non sunt. Idcirco codicum lectionem *εὐτυχεστέροις* ferri posse negaverim. Frustra, ni fallor, Kirchhoffius tueri eam studuit mutatione (*εὐτ.*) *αὐτοῖς κακῶς πράξασιν*, quae neque in antecedentibus neque in insequentibus senariis habeat, quo defendatur. Coniecturae autem, quas Seidlerus G. Dindorfius Koechlyus Rauchensteinius fecerunt, propterea reiciendae sunt, quia Iphigenia pristinam fortunam suam secundam (i. e. eam, qua, priusquam Aulide mactaretur, usa est), cuius in versibus praegressis ne minimum quidem inveniatur indicium, causam animi commutati in medium proferre nequit. Quae autem vera causa sit, ipsa dicit v. 348, ubi, cum verbis *οἷσιν ἠγριώμεθα* cur animus mutatus sit contineatur, praepositio *ἐξ* (nach) de tempore intellegenda est. Orest. 279. Hipp. 109. Kykl. 250. Hecab. 915 (chor.) Heracl. fur. 1034 (chor.) Xenoph. Hellen. VI. 517.

Contrarium sensum atque hi omnes critici in vss. 352 sq. inesse opinatur Weilius trimetrumque 352 ita legi iubet

τοῖς δυσπότμοις γὰρ οἵ ποτ᾽ εὐτυχέστεροι.

Ex hac lectione traditam scripturam esse ortam parum habet probabilitatis. Gravissima autem causa accedit: illa sententia universa, si ad Iphigeniam refertur, apta non est. Nam praeterquam quod in versibus antecedentibus pristinae res secundae eius non commemorantur, Iphigenia, quoad

vivebat in domo paterna, felicior quidem erat quam post immolationem suam Aulidensem, sed hac facta (ergo ἥ ποτ' εὐτυχεστέρα αὐτὴ κακῶς πράξασα) miseris bene cupiebat (vss. 344—347).

Eam, quae sola est probabilis, loci emendationem invenisse mihi videtur Weckleinius, cum pro τοῖσιν εὐτυχεστέροις scripsit τοῖσι δυστυχεστέροις. Etenim Iphigenia cum res adversas, quas olim nacta est, etiam tum non oblivisceretur (v. 361) ac diu longeque a patria remota suorum consuetudine per dolum (v. 371) privata esset et cruento munere, quod valde abhorret ab eius moribus et animo (vss. 36 sq. 380 sqq. 775), fungi deberet, haud dubie etiam ante illud somnii visum infelix erat (v. 344. ὦ καρδία τάλαινα, πρὶν . . . . ἦσθα; 618 sqq.; quam obrem recte dicit οἱ δυστυχεῖς. v. 352), sed tamen minus iis, qui apud gentem externam mortis supplicio erant afficiendi. Itaque in peregrinos imprimisque in Graecos, quotienscumque immolandi ei traditi erant, amore patriae redintegrato placida misericors benevola erat. Postquam autem fratrem morte sibi esse ereptum et ita totam suam stirpem interituram sibi persuasit, etiam multo infelicior quam paulo antea et exstincto patriae amore in eos, quicumque in fines Tauricos veniunt vel modo venerunt, peregrinos malevola facta est. Quoniam autem certe hi illa infeliciores sunt, Iphigenia in sententia generali eos δυστυχεστέρους appellat eamque his fere verbis exprimit: infelices, cum ipsi in res adversas inciderunt, infelicioribus non bene cupiunt. Itaque emendationem δυστυχεστέροις recipiendam esse arbitror. Metzgero autem (Bl. f. d. B. G. u. R. W. XII. p. 458) non assentiar versus illos hoc modo scribenti

οἱ δυστυχεῖς καὶ τοῖσι δυστυχεστέροις
αὐτοὶ πρὶν εὖ πράξαντες οὐ φρονοῦσιν εὖ.

De πρὶν εὖ iam supra diximus; καὶ autem necessarium non est.

Quibus rebus constitutis non difficile est intellectu, quid de F. G. Schmidtii argumentis dicendum sit.

Rectissime hic vir doctus causam offensionis inesse existimat in vocabulo εὐτυχεστέροις. Sed de voce συγγενεσ

τάτοις, quam conexu requiri putat, cum eo non sentimus. Quamquam enim illa sententia universa potest esse huius sensus: infelices etc. gentilibus sunt malevoli, tamen quid superlativus *συγγενεστάτοις* sibi velit, ex vss. 342—350 non perspicitur. Namque vocabulum *θούμόφυλον* universe Euripidem intellexisse, ex eo apparet, quod paulo post (v. 347) in universum interpretatur *Ἕλληνας ἄνδρας*. Vox autem *αὐτοί*, quippe qua subiectum *οἱ δυστυχεῖς* graviter opponatur dativo *τοῖσι δυστυχεστέροις*, ferri videtur posse. Itaque Engeri (Mus. Rhen. 17 vol. p. 613 sq.) coniecturam *αὐτίκα*, quae sensui versus 348 non repugnet, opus esse negaverim. Iniuria porro F. G. Schmidtius verba *κακῶς πράξαντες* in suspicionem adduxit. Respondent enim temporis notioni, quae inest in *ἐξ ὀνείρων* et ex Weckleinii interpretatione valent: cum (wenn) in res adversas inciderunt. (Soph. Phil. 1269 *κακῶς ἔπραξα*; de participio aoristi verbi huiusmodi cf. Krueg. gr. gr. I. 53. 5. 2). Ideo non est, cur ad Schmidtii mutationem haud ita probabilem *κακῶς* (unglücklicher Weise) *πταίσαντες*, quam ad sensum efficiendum aptiorem esse censet, confugiamus. Denique equidem non intellego, quare hic vir doctus requirat, ut Iphigenia dicat, casum adversum, in quo nunc versetur, maiorem esse quam pristinum et sese ob hoc ipsum gravius malum animo esse infenso. Nam, ut iam supra docuimus, sacerdos infelix (i. e. patria privata) somnio, cum fratre mortuo domum suam periisse totam opinatur (cf. vss. 44—58), facta est multo infelicior. Cuius rei summum dolorem num vehementius potest significare quam verbo *ἠγριώμεθα*? Quid? Hac ipsa recenti fortuna adversa mutatum esse eius animum, quis est quin e vss. 348—350 intellegat?

Quae si recte disputata sunt, meo quidem arbitratu non est, cur trimetri 352 sq. deleantur.

Restat, ut de senario 351 paucis disseratur. Versus post vs. 349, ut Schenkelio placet, positus, supervacaneus est. Nam e verbo *ἠγριώμεθα* satis apparet, quantopere Iphigenia animo commota fuerit. L. Dindorfii facili mutatione *ᾐσθόμην* pro *ἠχθόμην*, quam praeter Schenkelium ceteri critici comprobant, versus ita emendatus est, ut tamquam pro-

oemium sit versuum 352 sq. Quam ob rem non dubito, quin versus eo, quo in codicibus legitur, loco iure retineatur. Coniecturas autem, quas Bauerus (progr. p. 9 sq.) faciendas existimat, parvi momenti sunt. Vocabulo *ναί*, quod pro *καί* commendat, coniunctionem enuntiatorum inutiliter delet; pro voce *φίλαι* autem legendum esse *πάλαι* inanibus argumentis comprobare studet. Allocutione *φίλαι* Iphigenia, ut virginum misericordiam commoveat, aptissime utitur.

---

376. *πολλὰ δ᾽ ἀπεθέμην ἀσπάσματα*
377. *εἰσαῦθις, ὡς ἥξουσ᾽ ἐς Ἄργος αὖ πάλιν.*

Cur Nauckius versum 377 in suspicionem vocaverit, equidem non perspicio. Eo enim deleto et desideratur, ut dicatur, quam ob causam Iphigenia amplexus illos distulerit, neque, ut Rauchensteinius recte adnotat (p. 8.), intellegitur, quid sibi velit *ἀπεθέμην*. Quod verbum significatione differendi usurpatum coniungitur cum praepositione *εἰς*. Xenoph. conviv. II. 7: *εἰσαῦθις ἀποθώμεθα*. Plat. Euthyd. p. 275. a. *εἰσαῦθις ἀπέθεσθον*. Gorg. 449. b. Legg. 10. p. 887. Isocr. paragr. p. 374. E. *εἰς τοῦτον ἀποθέσθαι τὸν χρόνον*. Xenoph. memor. II. 1. 31. *εἰς τὸ γῆρας ἀποθέμενοι*.

Iphigenia vss. 380—384 reprehendit, quod Diana, cum ipsa delectetur immolatione hominum, vel caede vel contagione puerperae vel cadaveris contaminatos ab aris arceat. His ex versibus

382. *ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν*

pro suppositicio habent Badhamus Nauckius — quibus Weckleinius dubitanter adstipulatur —, quia puerperae commemoratio nihil faciat ad argumentum; cf. etiam Wilamovitzii Anal. p. 206.

Diana est domina mulierum nuptarum (*δέσποινα γυναικῶν* Anth. Pal. VI, 269) ac dea puerperii, quae vocatur *λοχεία* vel *λοχία* (Plut. mor. p. 658. Orph. h. 35,3. Eur. Iph. Taur. 1097.

Suppl. 958) et *εὔλοχος* (Hipp. 166) parturientibusque opem fert. (Plat. Theaet. p. 149. B. *ἡ Ἄρτεμις τὴν λοχείαν* — i. e. curam puerperii vel parturientium — *εἴληχε*; Aesch. Suppl. 676. Dind.; ad eandem rem spectant imprimis verba carminis convivalis, quod legitur apud Athenaeum XV. p. 694. — scol. 4 apud Bergkium —: *Ἄρτεμιν ἃ γυναικῶν μέγ᾽ ἔχει κράτος*). Quam ob rem mulieres feliciter partu levatae cingula cirros vestes dona deae dedicabant (Anthol. Pal. VI, 59, 201, 202, 271—273.). Similiter Iphigeniae, Dianae sacerdoti, quae olim noctis dea, qualis est Artemis, colebatur (cf. Koechlyi praef. edit. Iphig. T. p. 23. Weckleinii praef. ed. I. T. 1 sq.), Braurone pepli mulierum in partu mortuarum offerebantur. vss. 1462 sqq. Quoniam igitur et puerperae et partus in tutela Dianae erant, quicunque haec tetigerant, non poterant deae videri abominandi ab arisque prohibendi. Quare puerperas, quamquam, ut Brodaeus monuit, ob recentem partum immundae putabantur, vel partus, quemadmodum vocem *λοχείας* Weckleinius interpretatur, hoc loco ab Euripide ipso esse commemoratos parum veri simile duco. Neque, si versus 382 abest, conexus perturbatur. Itaque versum delere quam servare malim.

Iphigenia, postquam de patribus et sorore peregrinorum sciscitata, huius, quippe quae praestantissimos fatres amissura sit, fortunam misericordia prosecuta est, queritur, quod omnes nesciant, num forte sibi fortuna eiusdem generis instet, his versibus:

475. *τὰς τύχας τίς οἶδ᾽ ὅτι*
τοιαίδ᾽ ἔσονται; πάντα γὰρ τὰ τῶν θεῶν
εἰς ἀφανὲς ἕρπει, κοὐδὲν οἶδ᾽ οὐδεὶς κακόν.
478. *ἡ γὰρ τύχη παρήγαγ᾽ εἰς τὸ δυσμαθές.*

Quorum trimetrorum postremum F. G. Schmidtius (p. 277 sqq.) et Hirzelius (p. 8.), cui dubitanter Nauckius assentitur, ut additamentum interpolatori tribuerunt. Etenim apparere, argumentum verborum *πάντα γὰρ τὰ τῶν θεῶν εἰς ἀφανὲς ἕρπει* et *ἡ γὰρ τύχη παρήγαγ᾽ εἰς τὸ δυσμαθές* esse unum idemque; deinde id habere offensionem, quod, cum fortunae hominum

τύχαι modo appellatae essent, pro *τὰ τῶν θεῶν* v. 478 collocaretur substantivum *τύχης*; tum a sententia huius loci discrepare verbum *παράγειν*, in quo inesset vis de industria homines in errorem inducendi eorumque animos occaecandi. (Schmidtius.)

De tautologia illa, cum nimium perspicua sit, pluribus disseri opus non est. Quare cum membrum *ἡ γὰρ τύχη — δυσμαθές* neque causam alterius *πάντα τὰ τῶν θεῶν — ἕρπει* contineat, neque, quia duo fere versus interpositi sunt, ad *τὰς τύχας — ἔσονται* (475 sq.) spectet, relinquitur, ut quaeramus, num ad id, quod modo praegreditur, membrum *κοὐδὲν οἶδ' οὐδεὶς κακόν* referri queat, si substantivum *τύχης* interpretamur „fortunam adversam." Quod quominus faciamus, duae causae obstant. Primum quandoquidem fortuna adversa est pars illius *τὰ τῶν θεῶν*, ea, quae modo prolata sunt, ex parte moleste repetuntur; deinde *κακόν* delendum esse suo iure Schmidtius demonstravit. Qui recte refutavit sententias Seidleri Witzscheliique illud *κακόν* intellegentium *τὸ μέλλον κακόν* [quod nuper placuit Bauero (edit.); cf. v. 482 sq.], Hartungii vertentis „sein Ungemach" (articulum *τό* ex usu Graeci sermonis requivisit Schmidtius), Kvícalae Klotziique interpretantium „und Keiner weiss, was für ein Unglück, ob Schiffbruch etc. ihn treffen werde." Etenim si in verbis *κοὐδὲν — κακόν* sensus inesset „nemo antea scit futuram fortunam suam adversam" nasci repetitionem eorundem cogitatorum hanc: nemo novit futuram fortunam suam adversam; nam res divinae eunt in obscurum neque quisquam scit futuram fortunam suam adversam. Quam ob rem non sine causa Weilium coniecisse arbitror, *κακόν* esse additum (cf. v. 483), ut lacuna expleretur. Apparet igitur, emendatione versum 477 esse sanandum. Coniecturas Kirchhoffii *βροτῶν* et Badhami *ἀπόν* merito F. G. Schmidtius refellit. Ferri potest Weckleiniana *σαφῶς*. Non satis placet *ἄκος*, quod proposuit F. G. Schmidtius. Probabiliter coniecit Herwerdenus *πάρος*, Kayserus *κοὐδὲν' . . . πόρον*, Koechlyus *ὅποι*; omnium maxime mihi probatur illud Weilii *τέλος*. — Veniamus nunc ad verbum *παράγειν*. Quod cum habeat notionem fallendi (Aesch. Pers. 98. *παράγειν*

βρότον εἰς ἀκρύστατα. Theogn. 404. *δαίμων ἐς ἀμπλακίην παράγει*), ad hunc locum non quadrat.

Quae si ita sunt, quoniam, utut versus 477 emendatur, tautologia, in qua illi viri docti suo iure offenderunt, non removetur, non dubito Schmidtio assentiri, versum 478 propter illud antecedens *κοὐδὲν οἶδ' οὐδεὶς* esse inculcatum atque, ut Hirzelius censet, ab eo, qui paulo infra versum 486 addidit.

Versum 486

οὐχ ὅστις Ἅιδην ἔγγυς ὄντ' οἰκτίζεται

suspectum habuit Marklandus, quem praeter G. Hermannum Witzschelium Kirchhoffium Klotzium Bauerum reliqui critici recentiores secuti sunt, ob praecedentes duos versus, in quibus eadem res contineretur. Respondet enim *ὅστις οἰκτίζεται* enuntiato relativo *ὃς ἂν οἴκτῳ . . .*; *Ἅιδην ἔγγυς ὄντ'* verbis *μέλλων θανεῖν σωτηρίας ἄνελπις*; *οὐχ* negationi particulae *οὔτοι*, ut suppleatur *σοφὸν νομίζω.* Quam tautologiam ut aliquam quidem partem vitaret, Seidlerus v. 484. pro *θανεῖν* scribendum proposuit *κτανεῖν.* Sed verba *ὃς ἂν μέλλων κτανεῖν* Oresti hoc loco adhibere non licet, quia nondum scit, num ab Iphigenia ipsa mactetur; nam hanc rem v. 617 demum ex sacerdote percontatur. Adde quod, si recepta Seidleri mutatione versus 486 servaretur et G. Hermanno auctore concinnitatis causa pro *οὐχ* poneretur *οὐδ'*, verbis *ὡς δὺ' ἐξ ἑνὸς — θνήσκει ὁμοίως*, causa alterius quidem enuntiati *οὐδ' ὅστις . . . σωτηρίας ἄνελπις* contineretur, sed desideraretur prioris *ὃς ἂν μέλλων κτανεῖν — θέλῃ.* Itaque mihi persuasi distinctionem, quam Seidlerus hoc loco invenisse sibi visus est, non ab Euripide esse profectam. Quare codicum lectionem *θανεῖν*, quae etiam apud Stobaeum est, retinendam censeo, praesertim cum verbum *θνήσκει* (v. 489) ad eam respicere videatur.

Quibus rebus cognitis quis est, quin Marklando adstipuletur atque cum Hartungio censeat, versum ex alio loco, quo

eadem sententia iisdem fere verbis sit prolata (ut Soph. Ant. 580), hic margini adscriptum esse adscriptumque irrepsisse in textum?

Ceterum Marklandi suspicio Hirzelii observatione confirmatur. Orationes enim, quae in versibus 472—481 et 482—491 insunt, — trimetris 478 et 486 remotis —, novenos versus complectuntur.

Diverbium, quod inest in vss. 492—560 Usenerus (Mus. Rhen. 1868. p. 166 sqq.) existimat olim constitisse ex senionibus versuum alternorum. Quam rem ita demonstrat, ut senarios 492 sq. in unum contrahi, trimetros 529 sq. e textu removeri, iambos 527 sq. post vs. 520 collocari iubeat. Argumenta, quibus hanc opinionem tuetur, magis ad concinnitatem numerorum versuum firmandam quaesita videntur, quam in ipsis locis inesse. Ideo in ea inquirendum est.

Ac primum quidem perscrutemur vss. 492 sqq.

492. *πότερος ἄρ᾽ ὑμῶν ἐνθάδ᾽ ὠνομασμένος*
493. *Πυλάδης κέκληται; τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω.*

Usenerus assequi nequit, quid sibi velit *ὠνομασμένος κέκληται*; vocem *ἐνθάδε* esse additam, ut hiantes numeri explerentur; denique *τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω* esse ineptum, quia Iphigenia „ne verbo quidem quam cuperet, ab his iuvenibus (i. e. ab Oreste et Pylade) de rebus domesticis doceri, antea significaverit,“ atque sumptam esse hanc sententiam e versu 494. Itaque proponit has mutationes

Πυλάδης ἄρ᾽ ὑμῶν πότερος ὃς κικλήσκεται;
vel *Πυλάδης ἄρ᾽ ὑμῶν πότερος ἦν κεκλημένος;*

ut participii *κεκλημένος* glossema *ὠνομασμένος* codicibus servatum sit et *ἦν* ad versus 249. 285. 321. pertineat, ubi Iphigenia Pyladis nomen audiverit.

In priore illorum versuum ansam offensionis praebet verbum *κικλήσκεται*, quod nisi in chori canticis non reperiatur. Aesch. Agam. 712. Pers. 655. Eur. El. 118. Alter potest quidem ferri, sed cur recipiatur, prorsus nulla iusta causa

exstat. Namque non tam quod, ut Usenero videtur, Iphigenia illud nomen ex pastoris narratione perceperat, quam quia, ut Weckleinius recte monuit, peregrinus alter ab altero in litore Taurico Pyladis nomine erat appellatus (cf. vss. 285, 321), hic *ἐνθάδ' ὠνομασμένος* dicitur. (De *ἐνθάδε* cf. vss. 278, 389). Apparet igitur, verba *ἐνθάδ' ὠνομασμένος . . . κέκληται* haud inepte coniuncta locumque ita esse vertendum: uter vestrum nominatur Pylades, in hac terra (ita) appellatus? Neque in verbis *τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω* offendendum esse puto. Verum quidem est, Iphigeniam antea non significasse, quam cuperet a iuvenibus de compluribus rebus doceri: at hoc ex ipsis iis quibus nunc utitur verbis satis apparet. Talia autem additamenta, quale est *τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω*, quamquam, si accurate iudicas, supervacanea sunt, plerumque sub finem versuum alternorum saepius apud Euripidem reperiuntur (Jon. 265. *ἐκμαθεῖν θέλω.* — Phoen. 410. 1680; 1325. 1354; Iph. Taur. 257: *τοῦτο γάρ μαθεῖν θέλω*) neque illud versu insequente in suspicionem adducitur, sed potius defenditur; verbis enim *εἴ τι δή σοι τοῦτ' ἐν ἡδονῇ μαθεῖν* Orestes assentitur Iphigeniae dicenti *τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω.* Praeterea permulti sunt loci Euripidei, quibus duos vel plures versus tamquam prooemium praemissos stichomythia singulorum versuum sequitur. Iph. Aul. 855 sq. Suppl. 564 sq. 752 sq. Jon. 1282 sq. Bacch. 461 sq. Heraclid. 630 sq. 709 sq Heracl. fur. 1111 sq. Hel. 1412 sq. — Hipp. 267—270. Troad. 709—711. Jon. 1320—1323. Iph. Aul. 314—316. Jon. 247—254. Hel. 546—549 — 550—552. Heracl. fur. 701—706.

Quibus rebus perspectis persuasum habeo, manuscriptorum lectionem versuum 492 sq. esse retinendam.

Sequitur alter locus, de quo quaestio est instituenda. Versus 529 (Iph.) *πρὶν γὰρ θανεῖν σε, τοῦδ' ἐπαυρέσθαι θέλω.*
530 (Or.) *ἔλεγχ', ἐπειδὴ τοῦδ' ἐρᾷς· λέξω δ' ἐγώ.*
eiciendos Usenerus censet, quia

(1) primum Iphigenia nihil rationis afferat, cur una interrogatione (vs. 527) breviter complectatur, quae scire concupiscat; deinde

(2) non modo non respondeat iis, quae Orestes v. 528 dixerit, verum etiam tum

(3) repetat sententiam eorum, quae iam vss. 515. 516. 513. 514[1]) pronuntiata sint, atque hanc repetitionem minime decere virginem mitem peregrinoque illi benevolam; postremo,

(4) versu 530 significandum fuerit, singula esse quaerenda.

Ac primum quidem Iphigenia cum, ut e versibus 515 et 527 facile potest perspici, non nisi in universum de Achaeorum reditu audiverit, occasionem opportunam atque idoneam ex peregrino, Argis profecto (v. 515), certiora cognoscendi non vult praetermittere. Quam ob rem satis apte Weckleinius hanc interpretationem versus 529 commendare mihi videtur: hanc enim ob causam omnia semel scire cupio, quia, cum mortem obieris, nihil poteris mihi narrare.

Proximum est, ut de repetitione illa disseratur. Similitudinem quandam habet argumentum versuum 529 sq. cum senariorum 515 sq. 513 sq., sed magnum discrimen interest. Nam versus 529 non tam iterat argumentum trimetri 515 quam amplificat. Summa autem versus 529 num adhorret ab Iphigeniae animo, quae v. 350 in omnes advenasse malevolam fore dicat?

Disputemus nunc, quid de verbo ἔλεγχ' statuendum sit. Quia, ut e diverbio reliquo appareat, reditus Achaeorum singulatim, non summatim referatur, ad verbum ἔλεγχ' propterea addendum esse ἕκαστα vel ἑκάστους (ἐφεξῆς) Usenerus arbitratur, quod, nisi huiusmodi quid adiceretur, e versu 528 supplendum sit πάνθ' ἅπαξ συλλαβοῦσα. Cui opinioni assentiri non possumus. Etenim Orestes, sive quod, quemadmodum Koechlyus interpretatur, moriturus ea animi affectione non est, ut copiose atque uno tenore narret, sive quod, ut Weckleinius iudicat, cum alii alia sors contigerit, universum breveque responsum reddi non posse credit, (ni ego fallor, utraque causa commotus), v. 528 cum indignatione iam negavit, fieri omnino posse, ut reditus summatim enarretur. Ideo verbo

---

[1]) In hunc ordinem Kirchhoffius recte versus adduxit.

ἔλεγχ', praesertim cum iam per se de iis qui de singulis rebus inquirunt usurpari queat (cf. Koechlyi annot. ad. vs. 1179), additamentum opus non est.

Atque ut anquiramas, num vss. 529 sq. deesse possint, Usenerus putat, sola vituperatione, quae inest in versu 528, Iphigeniam commoveri, ut de singulorum fatis advenam percontetur. Quod ita se habere quamquam non omnino negaverim, tamen respicienti mihi morem a tragicis Graecis in stichomythiis componendis observatum colloquium abrepti aliquid habere videretur, si post v. 528 statim sequeretur vs. 531.

His omnibus argumentis perpensis pro certo habeo, senarios 529 sq. esse genuinos.

Ceterum ordo, quem Usenerus versibus 527 sq. post versum 520 transpositis effecit, mihi quidem non probatur. Nam Iphigenia cum v. 523 demum percontetur, ubi nunc Helena sit, vs. 521 sciscitari non potest, num ea in patriam, sed num omnino ad Menelaum redierit[1]); itaque versus 521 ceteris versibus, quibus de hac urbe agitur, apte adnectitur. Ex quo apparet, prorsus non esse, cur Iphigenia iam ante versum 521 de reditu Achaeorum loquatur. Neque in eo offendi posse puto, quod Iphigenia, de uno Menelao certior facta, vs. 527 Orestem de reditu in universum interrogat.

Iphigenia Oresti, quem Argivum esse ac familiam ipsius nosse intellexit, hoc consilium proponit, opportunitatem litteras cuidam, quem carissimum propinquorum habet (v. 640), Mycenas mittendi oblatam capere cupiens:

582. *θέλοις ἄν, εἰ σώσαιμί σ', ἀγγεῖλαί τί μοι*
πρὸς Ἄργος ἐλθὼν τοῖς ἐμοῖς ἐκεῖ φίλοις,
δέλτον τ' ἐνεγκεῖν, ἥν τις οἰκτείρας ἐμὲ
ἔγραψεν αἰχμάλωτος, οὐχὶ τὴν ἐμὴν
φονέα νομίζων χεῖρα, τοῦ νόμου δ' ὕπο
587. *θνήσκειν γε, τῆς θεοῦ τάδε δίκαι' ἡγουμένης;*

[1]) Recte Weckleinius adnotat: „*δῶμα Μ. πάλιν ἀφῖκται* bezeichnet im allgemeinen die Rückgabe der Helena an Menelaos, die in Troja erfolgte."

Ultimum senarium Herwerdenus (Mnemos. vol. V. p. 29) pro suppositicio, Metzgerus (Blätter etc. p. 448) pro valde suspecto habet.

Loco vocis *γε*, quam codices exhibent, praeter Klotzium omnes editores recte in textum receperunt *σφε* (Markl.). Cum in constructione ita nata *νομίζων* . . . *τοῦ νόμου ὕπο θνήσκειν σφε*, quia pro accusativo cum infinitivo syntaxis Graeca „nudum infinitivum" requirat, tum in „intolerabili languore" verborum *τῆς θεοῦ τάδε δίκαι ἡγουμένης* Herwerdenus offendit. Sed dummodo in enuntiato *οὐχὶ τὴν ἐμὴν φονέα νομίζων χεῖρα*, ut licet, verbum *εἶναι* suppleas, ut constructionem eam, quae accusativus cum infinitivo vocatur, intellegamus, illud *σφε*, quia enuntiatum *τοῦ νόμου δ' ὕπο θνήσκειν σφε* priori illi oppositum est, ferri videtur posse. Sententia autem vocabulorum *τῆς θεοῦ τάδε δίκαι' ἡγουμένης* ex parte inest in *τοῦ νόμου* (vide exempla supra ad. v. 339 allata), sed eo ipso, quod Dianam ipsam, cuius sacerdos sit, auctorem huius moris diserte significat, multo gravius, quam cum nihil nisi morem illum, cuius origo Oresti ignota erat, in medium profert, excusat quod peregrinos interficiat. Qua quidem re ac diserta commemoratione mortis illius captivi sacerdos, quoniam huius sorti inevitabili Orestem vult eripere (vs. 582. 593 sq.), potest sperare, multo facilius se eum commoturam eique persuasuram esse, ut salutem opportune oblatam capiat.

Quae si ita sunt, non habemus, cur versum 587 Euripidi abiudicemus atque trimetro hoc deleto ad elegantiam brevitatemque dictionis efficiendas cum Herwerdeno senarium 586 scribamus

φονέα νομίζων χεῖρα, τὸν νόμον δέ που;

Versus 588. *οὐδένα γὰρ εἶχον ὅστις ἀγγεῖλαι μολὼν*
589. *εἰς Ἄργος αὖθις τὰς ἐμὰς ἐπιστολὰς*
590. *πέμψειε σωθεὶς τῶν ἐμῶν φίλων τινί*,

quibus Iphigenia in libris manuscriptis consilium illud probare

studet, Monkius et Wilamovitzius (Anal. p. 224) spurios notaverunt; Kvícala quoque ab interpolatore eos profectus esse veri simillimum existimat (Beitr. p. 245 sq.). Nam senariorum 582—4 cum argumentum in universum tum omnia fere vocabula repeti; *τῶν ἐμῶν φίλων τινί* autem inveniri vs. 639. Deinde suspicionem moveri verbis *ἀγγεῖλαι* et *ἐπιστολὰς πέμψειε* (Kv.). Tum, si trimetri 588—590 adnectantur praegressis, verba *ἥν τις οἰκτείρας* — *ἡγουμένης* molestam praebere interclusionem (Kv.). Censet autem Kvícala interpolatorem versus e vss. 582—4 confectos propterea addidisse, quia, cur Iphigenia non per ipsum captivum illum epistolam ad Orestem misisset, ea re explicare voluerit, quod ille, cum non Argivus fuisset, salutem nactus (*μολὼν εἰς Ἄργος αὖθις*), non Argos ivisset. Sed cum eum Argos non nosse, ergo non Argivum fuisse e vs. 592 satis appareat, illud additamentum haud ita necessarium esse.

Ac repetitionem illam in codicum lectione inesse nemo est quin concedat. Sed librarius formam *ἀγγεῖλαι*, quam, cum paulo antea (v. 582) scripsisset, fortasse memoria teneret, similitudine utriusque loci commotus per errorem in textum videtur recepisse. Frustra, opinor, eam Klotzius verba *ἀγγεῖλαι μολὼν* interpretans „cum nuntiatum venisset“ defendit, quia sententia eorum in antecedentibus non habet quo nitatur. Iphigenia enim sine dubio intellexit, Orestem non eo consilio, ut ad ipsam nuntios Argivos perferret, in Taurorum fines venisse. Praeter hoc argumentum contra Seidleri coniecturam *ἀγγείλας*, quae G. Hermanno non displicuit, Hartungium suo iure etiam id protulisse Kvícala arbitratur, poetam hanc rem, si in animo habuisset, certe non tam universe neque uno verbo expressurum fuisse. Mutatione autem *ἀγγεῖλαι*, quam Portus proposuit, Marklandus, Seidlerus (*ὅστις ἀγγεῖλαι μολὼν Εἰς Ἄργος αὖθις τὰς δ' ἐμὰς ἐπιστολὰς*), Elmsleius (*τὰς τ' ἐμὰς ἐπ.*) eumque secuti Kirchhoffius Koechlyus Zieglerus Bauerus comprobant, tautologia efficitur. Itaque Schoenius scribendum iussit *Ἀργόλας*, „in quo rara vocabuli forma offensioni est“, quemadmodum Rauchensteinius annotat (disput. p. 12); sed quantum scio, haec vox in scrip-

tis Graecis non exstat. Sensu quidem quadrat, sed a codicum litteris nimis discedit Weilii mutatio *Ἀργεῖαν μολὼν εἰς γαῖαν αὖϑις*; probabiliter, ut infra apparebit, coniecit Weckleinius *Ἀργεῖος*, Musgravius *Ἀργόϑεν* (cf. vs. 515 *ἐξ Ἄργους μολών*), quod Rauchensteinius (l. c.) et Nauckius approbant. Coniunctionem autem vocabulorum *ἐπιστολὰς πέμπειν τινὶ* reiciendam esse Kvícala existimat. Etenim de nuncio Euripidem usurpasse verba *φέρειν* et *ἀποδιδόναι* (cf. vss. 584. 744. 745. 753. 791. Iph. Aul. 307. 891. 894); ac quamqum de eo, qui litteras perfert, poeta nonnunquam verbum *πέμπειν* adhibuerit et vox *ἐπιστολαὶ* significatione litterarum reperiatur, tamen neminem nisi eum, qui ipse litteras mittit, *πέμπειν δέλτον τινὶ* dici posse. Sed cum Orestes paulo infra (v. 604) de Pylade nuncio et de eadem epistola atque Iphigenia loquens verbis (*δέλτον*) *πέμψει Ἄργος* etiam id significet, ad quem locum epistola perferenda sit, et quoniam *ἐπιστολαὶ* non solum apud alios scriptores verum etiam apud Euripidem saepius (vss. 732. 767. Iph. Aul. 111. 314. Hipp. 858) idem valent ac litterae, illa verba coniuncta, quamquam exemplis prorsus aptis ea confirmare non possum, ferri posse mihi videntur. Ex ea autem re, quod verba *τῶν ἐμῶν φίλων τινὶ* etiam v. 639 leguntur, interpolationis suspicio non nascitur. Nam cum repetitiones huiusmodi non rarae sunt (v. 583 *τοῖς ἐμοῖς ἐκεῖ φίλοις*. v. 744 *τοῖς ἐμοῖς φίλοις*. cf. v. 745. — Gloël, de interp. Hipp. fab. Eur. p. 11. —), tum, ut e vss. 639. 769 elucet, hoc loco dicendum erat, ad neminem nisi ad certum quendam hominem perferendam esse epistolam. Praeterea similitudo, quam in codicum scriptura totus locus habet cum vss. 582—4, emendatione *Ἀργεῖος* vel *Ἀργόϑεν* constituta, talis est, ut, cum consilium repetitionis eorundem fere vocabulorum perspicuum sit (vide infra), nullam moveat offensionem. cf. vss. 733. 736 (videas infra), 744 sq. 767, supra ad v. 76. — Atque ut ad interpositionem illam veniamus, eam statuere propterea opus non est, quia sententiae deinceps, ut modo propositae sunt, inde a vs. 588 tractantur.

Restat ut disseratur, num poeta Iphigeniam consilium suum probantem facere debeat. Si Euripides nihil aliud nisi

causam, cur Iphigenia non captivo illi epistolam tradidisset, exponere voluisset, versibus 588—590 ea de causa, quam Kvícala attulit (vide supra) et quia verba *σὺ δ᾽ . . . σώθητι — σωτηρίαν* opposita sunt sententiae vss. 586 sq., carere poteramus. At spectatores, cum memores spatii temporis, quod interest inter Iphigeniae immolationem Aulidensem (vss. 1 sqq.), i. e. expeditionem Achaeorum contra Troianos factam, et reditum eorum modo pluribus commemoratum, intellexissent, Iphigeniam iam diutius quam decem annos apud barbaros fuisse, mirarentur necesse erat, cur sacerdos non iam dudum aliquo modo nuncium in patriam misisset vel, cum saepius Graecos immolandos accepisset (v. 347), alicui ex his dedisset litteras ferendas. Huc alia accedunt. Iam ante Orestis adventum desiderabat, ut Argos reverteretur fratremque videret. vss. 989 sq. Quo desiderio et odio sacerdotii impulsa (vss. 774—6) captivum litteras ad Orestem scribere iusserat, atque id, quandoquidem amplius quam decem annos a patria erat remota et Orestem carissimum habebat (vs. 640), fortasse iam diu priusquam is in Taurorum terram iret. Neque tamen illis popularibus litteras mandaverat, quippe qui, ut e vss. 515. 591 sq. colligere licet, nec Mycenas nec Orestem cognossent nec nobilitate generis vel morum probitate commendari viderentur. Timebat enim, ne nuncius, cum e Taurorum finibus evasisset, mandata pro nihilo putans non Argos iret neque ea ad Orestem ferret; qua de causa de his rebus etiam a Pylade iusiurandum exigit. vss. 730—35. 744 sq. Quoniam igitur auditores ea re, quam supra commemoravimus, erant instruendi atque Iphigenia in nunciis eligendis litterisque mandandis permagnam adhibet cautionem, a rerum probabilitate abhorrere negaverim, sacerdotem diserte indicare, cur non iam dudum epistolam Mycenas miserit, atque eo magis, quod in hac ipsa re tamquam in fundamento posita est germanorum cognitio, i. e. totius tragoediae pars necessaria. Quam ob gravissimam causam minoris momenti videtur esse, quod constructio *ἐπιστολὰς πέμπειν τινὶ* exemplis omnino idoneis probari nequit.

Iphigenia Orestem, ut epistolam Argos ferret, in patriam remittere et Pyladem deae immolare constituit. Quod quidem consilium ille ita reiecit

597. *καλῶς ἔλεξας τἄλλα, πλὴν ἕν, ὦ ξένη.*

598. *τὸ γὰρ σφαγῆναι τόνδ' ἐμοί βάρος μέγα.*

Quibus ex versibus posteriorem, cuius argumentum duobus versibus interpositis accuratius affertur, Nauckius in suspicionem adduxit. Sed quamquam abesse potest, tamen propter illud *ἕν* retinendus mihi videtur. Etenim Orestes Iphigeniae consilio repente prolato Pyladis mactandi tantopere opprimitur, ut confestim id quod se indignum esse putat reiciat. Ita fit, ut in initio orationis aliquid pronuntiet, quod et arte cum ultimis sacerdotis verbis cohaeret et statim pluribus explicatur. Proprium autem est Euripidis, eam rem, de qua deinceps copiosius agitur, proponere breviter comprehensam. cf. vss. 617 sq. 734 sq. Suppl. 517. 901. Heraclid. 135. 236sq. Hecub. 986 sqq. Hel. 138 (139. 141), 1009 sq. Particulam *γάρ* porro in duobus versibus se excipientibus adhiberi, non est alienum a poetae usu. cf. vss. 257 sq. Helen. 303 sqq. Adde Hirzelii sententiam, qui, cum demonstravit orationem Orestis bipartitam bis senis constare versibus, docuit, senarium 598 esse servandum.[1])

H. Muellerus (progr. p. 13 sq.) persuasum habens diverbium, quod v. 617 incipit, cum ex iis esset, propter quae Euripides ab Aristotele appellatus esset *τραγικώτατος τῶν ποιητῶν*, absolutum perfectumque esse debere, versus

623. (Or.) *ὁ δὲ σφαγεὺς τίς; εἰ τάδ' ἱστορεῖν με χρή.*

624. (Iph.) *εἴσω δόμων τῶνδ' εἰσὶν οἷς μέλει τάδε.*

interpolatori tribuit quattuor de causis: (1) primum interrogationem *ὁ δὲ σφαγεὺς τίς;* esse supervacaneam; nam cum

[1]) Quod vs. 598 in Pseudo-Luciani Amor. c. 47. T. II. p. 451. reperitur, non magni momenti est.

Orestes vss. 618 sqq. audivisset, Iphigeniam ipsum esse immolaturam crinemque aqua lustrali aspersuram, per se apparere, caedem ipsam fieri ab aliis; (2) deinde verba timide pronuntiata *εἰ τάδ' ἱστορεῖν με χρή* inepta esse, quia Orestes de eadem re audacter modo rogavisset (v. 621); (3) tum summam responsi (v. 624) in universum dicti esse inanem; (4) postremo commemoratione aliorum, qui pro sorore Orestem occiderent, vim minui tragicam.

Apertum est, Orestem mortem obiturum omnia, quae ad supplicium spectant, accurate velle cognoscere (v. 617 sqq.). Itaque cum universe de sacrificio et num sacerdos ipsa, quandoquidem femina sit, etiam viros ense mactet, interrogaverit et audiverit, Iphigeniam ipsam esse sacrificaturam, non gladio quidem, sed ita ut hostiam dedicet, hac re nondum contentus aliam profert interrogationem. Quae interrogatio responsumque Iphigeniae quamvis otiosa fortasse possint videri, res huiusmodi, ut versus alterni exoriantur, ita tractari in diverbio a personis Euripideis interdum loquacioribus[1]) non alienum esse multis exemplis confirmatur. Iph. T. 1044. I. Aul. 698 sqq. Med. 672. Hecub. 765. Hel. 97. Ion. 305. Orest. 1576. Suppl. 143. (758). Bacch. 469. 485.

Veniamus nunc ad alterum argumentum. Iis verbis, quae Orestes quaestioni illi addit (*εἰ — χρή*), non tam, ut H. Muellero videtur, indicat inepte se rogasse aut timidum se praebet, — quae quidem timiditas valde abhorret ab illius animo (cf. vss. 605 sq.) —, quam significat, se coniicere, inter quos mactator sit. Nam etsi scit, qui versentur in templo (cf. 470 sq.), tamen nondum satis cognitum habet, quod eorum sit officium. Accedit quod nexus sententiarum videtur hiare, si a verbis ad initium sacrificii spectantibus (v. 622) statim transitur ad mentionem sepulcri (v. 625). Praeterea cum poeta saepius in hac fabula — vss. (40) 335. 1154 sq. 1190 (cf. 359 sq.) — duplex mactandi munus distinguat, veri simillimum est, eum hoc loco, quo pluribus de sacrificatione agatur, utrumque in medium protulisse.

---

[1]) Arist. Ran. 91. 1069.

Restat ut vim tragicam anquiramus. H. Muellerus arbitratur, vss. 623 sq. commemoratione hominum illorum infirmari metum orientem ex ea re, quod soror suum ipsius fratrem ad supplicium sumendum sacratura sit. Ipsa enim illorum mentione spectatores moneri, aliquid esse etiam magis metuendum: si Iphigenia ipsa fratrem iugulare debeat. Cui opinioni quominus assentiamur, gravissimae causae obstant.

Cum in sacrificatione nihil nisi auspicium a sacerdote ipsa conficiatur (cf. vss. 56. 244. 776. 704 sq. 359 sq. — 40 sq. [?]) et hanc ob causam Iphigenia ense peregrinum se mactaturam esse modo (v. 622) negaverit, fieri omnino nequit, ut ulli in mentem veniat, fortasse sua ipsius manu sororem debere fratrem caedere. Porro Euripides, cum Orestem v. 621 de immolatione, quae gladio fit, sciscitantem facit, alteram sacrificationis partem indicat, quae ab altera non potest separari. Iphigenia autem versu 622 leniter significat, — ut H. Muellerus concedit —, Orestem interfectum iri opera aliorum. Huc aliud gravissimum accedit. Sacerdos, quamquam haud ignorat, gladio advenam se non esse sacrificaturam, tamen rogata, quis victimam mactaturus i. e. quis tota immolatione perfuncturus sit (v. 617: θύσει δὲ τίς με κτλ;), respondet, suum hoc esse officium (cf. vss. 704 sq.). Ministri enim mandata sacerdotis exsequuntur; haec antea sacra auspicatur. Apparet igitur, eam sacrificii initium et negotium victimariorum vs. 617 comprehendere in unum. Eodem modo Iphigenia de immolatione sua ipsius iudicat, cum Agamemnonem, qui Danais caedem conficientibus sacerdos fuerit (v. 359 sq.), ipsam interfecisse dicit (vss. 565. 992). Porro v. 56 uno verbo κατάρχομαι sacrorum ritus in universum describit. (De hoc usu huius verbi cf. Valckenar. ad Phoen. v. 576). Itaque probabile esse negaverim, Euripidem, praesertim cum vss. (40) 335 (i. e. ante hoc diverbium) et 1154 sq. 1190 duplex esse illud sacrificandi munus auditores doceret, sola, quemadmodum H. Muellero placet, peregrini dedicatione, quae ministrorum rationem non habet, animos spectatorum voluisse percutere.

Quae si recte disputata sunt, mentio eorum, qui Orestem

trucidaturi sunt, cum argumento senariorum 617—622 postulatur, tum vim horum versuum non deminuit.

Atque ut videamus, num omnino et quid Aristoteles, quem ducem H. Muellerus est secutus, de hoc diverbio iudicaverit, dubitari nequit, quin etiam huius fabulae virtute commotus Aristoteles Euripidi illud nomen dederit praeclarissimum (Poet. XIII. 6). Laudat enim comprobatque dispositionem huius tragoediae ac rationem, qua poeta res ita componat, ut in spectatoribus metus misericordiaque excitentur. Poet. XVII. 3. XIV. 9. Quo posteriore loco, quamquam verbis non indicatur, fortasse opinari licet, hoc diverbium animo Aristotelis obversatum esse. Qui docet, eam fabulam esse optime compositam atque ad metum misericordiamque concitandam maxime idoneam, in qua personae insciae facinus perniciosum perfecturae sint, sed, priusquam conficiant, illud cognoscant. Ita apud Euripidem in Cresphonte Meropam filium, in Iphigenia Taurica Iphigeniam fratrem interfecturam esse, sed re perspecta non interficere. Potest igitur Aristoteles videri putasse, Iphigeniam fratrem ense caedere debuisse. Sed si hoc sibi persuasisset, contra Euripidem ipsum dixisset, cf. vss. 621 sq. Itaque philosophum eam, quam Muellerus pro necessaria habet, perfectionem postulasse parum veri simile arbitror. Iphigenia autem, quamquam non sua ipsius manu sed per alios caede perfungitur, tamen, quandoquidem aliorum auxilio vult ad finem perducere id, quod Meropa ipsa est factura, rectissime eadem condicione ac Meropa occisura esse ab Aristotele dicitur. Inde colligi videtur posse, philosophum, si modo in illo artis poeticae loco concipiendo huius ipsius diverbii meminerat, non auspicium immolationis solum, sed totam immolationem in animo habuisse. Vides igitur sententiam, quam de vi versuum 617—624 supra protulimus, Aristoteli non repugnare.

Quibus argumentis perpensis persuadere mihi non possum, H. Muelleri opinionem esse comprobandam.

Pylades, per quem Iphigenia litteras Argos vult mittere, vehementer recusat, ne sodalem, de quo supplicium sit sumen-

dum, ignaviter deficiat. Nam si Oreste in barbarorum manibus relicto domum reverteretur, futurum esse, ut popularibus videretur vel proditione amici se servasse vel, cum Electram illius unam heredem in matrimonium duxisset, etiam appetitione imperii commotus illum interfecisse. Quam sententiam codices exhibent his versibus:

678. *δόξω δὲ τοῖς πολλοῖσι — πολλοὶ γὰρ κακοί —*
679. *προδούς σε σῴζεσθαι αὐτὸς εἰς οἴκους μόνος*
680. *ἢ καὶ φονεύσας ἐπὶ νοσοῦσι δώμασι*
681. *ῥάψαι μόρον σοι σῆς τυραννίδος χάριν.*

Ex his senariis ultimum Kvícala (Beitr. p. 250 sq.; symbol. philol. Bonn. p. 665 sqq.) propter absurdam tautologiam, quae insit in *φονεύσας* et *ῥάψαι μόρον*, damnat eumque, ut infinitivo *σῴζεσθαι* alter infinitivus responderet, ab interpolatore adiectum esse arbitratur.

Quamvis autem acriter contra Klotzium contendat, *φονεῦσαι* et *ῥάψαι μόρον* plane idem esse, tamen id quidem Klotzio concedi oportere censeo, in verbis *ῥάψαι μόρον*, cum in universum dicta sint, rationem nondum inesse, qua pernicies perficiatur; itaque illam ob causam, nisi aliae accederent, coniunctio vocabulorum *φονεύσας . . . ῥάψαι μ.* nihil haberet offensionis. Participio *φονεύσας* enim eam rem contineri statuendum esset, in qua actio perdendi appareret. cf. Krueger. gr. gr. I. § 53. 6. 8. Qua de causa, opinor, Erfurdtius Marklandus G. Hermannus Witzschelius Klotzius Badhamus Zieglerus G. Dindorfius codicum scripturam comprobaverunt. Sed Bergkius (M. Rh. 18. vol. p. 210) difficultatem quandam patefecit, quae nullo modo potest silentio praeteriri. Monuit enim *ῥάπτειν* (*μόρον*) nihil significare nisi perniciem machinari, i. e. aussinnen, anstiften; adhiberi igitur, si quis quem vellet interficere. Unum illius simplicis verbi exemplum apud poetas tragicos praeterea inveni: Eur. Andr. 836. Hermiona interrogatur:

ἀλγεῖς, φόνον ῥάψασα συγγάμῳ σέθεν;

Hoc *φόνον ῥάψασα* quomodo intellegendum sit, cognoscitur e vss. 805 sqq. *συννοίᾳ θ᾽ ἅμα*
οἷον δέδρακεν ἔργον Ἀνδρομάχην κτανεῖν
καὶ παῖδα βουλεύσασα.

Etenim Hermiona Andromacham eiusque puerum perdere voluit, sed quominus id conficeret ad Peleo impedita est. Eiusdem generis sunt nonnulli loci apud Homerum Od. 16, 421 sqq.

421. μάργε, τί ἦ δὲ σὺ Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε
422. ῥάπτεις;

(cf. 16, 411); Od. 16, 379:

οὕνεκά οι φόνον αἰπὺν ἐράπτομεν οὐδὲ κίχημι

Il. 18. 367; apud Herodotum scriptum est, ut in proverbio dicere solebant, (6,1): τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔῤῥαψας μὲν σύ, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρας, i. e. tu es machinatus, Ar. perfecit.

His omnibus locis personae iisdem loquuntur condicionibus atque Hermiona. Quam ob rem recte Bergkius et Kvícala et ob logicam et ob grammaticam causam (quia actio participii φονεύσας tempore prior sit quam verbi ῥάψαι μόρον) conjunctionem φονεύσας ῥάψαι μ. reiciunt facilemque ille proponit emendationem φονεῦσαι σ᾽ . . ῥάψας μ. Hanc Kvícala cum ferri posse non negat, primum illud et meo iudicio gravissimum argumentum suum, quod pertinet ad tautologiam, ipse labefactat. Quae cum ita sint, minime dubitandum censeo, quin Kvícalae sententia reicienda sit. Lobecki autem coniectura κἀφεδρεύσας (. . . ῥάψαι μόρον) sensui quidem non repugnat, sed nimium recedit a librorum lectione; scriptura δολεύσας, cuius auctor non notus est, vis enuntiati imminuitur, cum dolus iam in verbo ῥάψαι μόρον quodam modo insit.

Proximum est, ut paucis disputetur, quomodo v. 679 emendandus sit. Recte Seidlerus et G. Hermannus adnotant, membrum προδοὺς σε σώζεσθαι esse oppositum alteri φονεύσας . . ῥάψ. μόρ., id quod indicatur particulis ἢ καί. Sed in eo errarunt, quod in crasi σώζεσθαι αὐτὸς non offenderunt. Hanc a poetarum tragicorum usu esse alienam, praeter G. Dindorfium omnes critici hodie consentiunt. Cum hanc ob causam tum quia infinitivus praesentis aptam non praebet sententiam, diversas loci sanandi rationes inierunt. Haut ita probabiliter coniecit Heimsoethius (Krit. Stud. p. 144) νοστεῖν, pro quo vocabulo glossema σώζεσθαι in margine asscriptum in textum irrepsisset. Antea Elmsleius proposuerat: προδοὺς σεσῶσθαί σ᾽, quod Hartungio Kirchhoffio Koechlyo Weilio

Bauero Weckleinio Zieglero placuit. (De collocatione pronominis *σὲ* confer Weckleinii adnotationem.) Iniuria, opinor, hanc coniecturam impugnavit Badhamus: quia, si Pylades sine amico in patriam rediisset, de fuga illius dubitari omnino non potuisset; deinde, „si fugisset, vel etiam peius fecisset *τῆς τυραννίδος χάριν*“; tum quia perfectum *σεσῶσθαι* sensu aoristi *σωθῆναι* (evasisse) non usurpatum esset. Quibus ex argumentis primum nihili esse apparet; alterum mihi quidem absurdum videtur; nam Argivi, si Pyladem tam perditum hominem putassent, qui amicum perderet, haud dubie non minus facile (*πολλοὶ γὰρ κακοί*) sibi persuadere potuerant, eum probrosae proditioni addidisse fugam ignavissimam (*τῆς τυραννίδος χάριν*). Perfectum autem *σεσῶσθαι* hic nihil significare nisi servatum fuisse non recte Badhamum contendere puto. Meo enim iudicio idem *σεσῶσθαι* potest valere sich gerettet haben, entkommen sein, effugisse, et hac significatione aoristus verbi *σώζεσθαι* ab hoc loco prorsus alienus est. Nam vss. 676 sq. Pylades de eo tempore loquitur, quo fama ignaviae nequitiaeque ab ipso commissae per Argos et Phocidem iam divulgata erit, non de eo, quo fama illa divulgabitur.

Aliam loci emendandi rationem iniit Erfurdtius (cf. Seidlerum), cum commendavit *σωθείς*, ut verba hoc modo cohaererent: *σωθεὶς μόνος εἰς οἴκους δόξω τοῖς πολλοῖς ῥάψαι μόρον σοι, προδούς σε, ἢ καὶ φονεύσας.* Badhamus retinuit illud participium *σωθείς* adiunctum illi *προδούς*. Elmsleius maluit *σωθείς τ᾽* (*προδούς σε σωθείς τ᾽ αὐτὸς κτλ.*); Nauckius cum Dobraeo scripsit *σωθεὶς δ᾽*. Has omnes coniecturas, cum nitantur in intolerabili coniunctione verborum *φονεύσας . . . ῥάψαι μόρον*, ferri posse negaverim.

Quae cum ita sint, versus cum Koechlyo ita constituendos esse censeo:

678. *δόξω δὲ τοῖς πολλοῖσι — πολλοὶ γὰρ κακοί —*
προδοὺς σεσῶσθαι σ᾽ αὐτὸς εἰς οἴκους μόνος,
680. *ἢ καὶ φονεῦσαι σ᾽ ἐπὶ νοσοῦσι δώμασι*
ῥάψας μόρον σοι σῆς τυραννίδος χάριν.

Quibus versibus continuatum senarium

682. ἔγκληρον[1]) ὡς δὴ σὴν κασιγνήτην γαμῶν

a posteriore versificatore esse confectum arbitrantur G. Dindorfius et Bergkius. (Mus. Rhen. nov. ser. 18. vol. p. 211 sq.). Quorum uterque offendit in participio praesentis γαμῶν, quod metri causa positum sit pro γεγαμηκώς vel γήμας. G. Dindorfius censet, interpolatorem trimetrum addidisse, quia declarare voluerit, quomodo bona Orestis necati ad Pyladem essent perventura.

Versibus 678—682 Pylades ita fere argumentatur. Mali homines alios quoque malos putant omniaque, quae ab his geruntur, in suspicionem vocant. Quare simulac me reversum viderint, ex pravis suis moribus reditum meum interpretabuntur. Sciunt enim Agamemnonem et Clytaemnestram esse necatos (v. 680), Orestem dira Apollinis voce patria expulsum Menelaumque, dum hic abest, procuratorem esse regni (v. 929). Itaque cum res, quae pertinent ad domum regiam, haud ignorent, illos id quoque vix fugere poterit, me unicam — post Iphigeniae immolationem — Agamemnonis filiam, Orestis sororem, in matrimonium duxisse. Qua ipsa re eo adducentur, ut coniiciant, me sperantem fore, ut Oreste mortuo regnum uxoris hereditarium adepturus essem, consanguineo prodito domum rediisse vel ferro eum sustulisse e medio. Vides igitur, quam necessaria sit sententia versus 682 ad artum conexum efficiendum. Quam ob rem Klotzium secutus censeo, Euripidem fama vulgari mutata Electram Iphigenia immolata unam Orestis sororem esse relictam propterea finxisse (vss. 561 sqq.), ut gravissimo argumento probaret, cur Pylades, Electrae maritus, vehementius recusaret, ne sine Oreste in patriam reverteretur. Dicat autem quispiam, Pyladem, cum iam per se consanguineus fuerit Orestis et ob hanc causam eo mortuo sperare potuerit, se regnum Argivum esse assecuturum, verbis σῆς τυραννίδος χάριν satis significasse, quare amicum prodidisse vel interfecisse videri

---

[1]) Hanc esse utriusque codicis scripturam constat: cf. Wilamaovitz. Anal. p. 31.

posset. Etsi ita est, tamen sine dubio vis totius argumentationis Pyladis novo argumento fit multo efficacior et ad persuadendum accomodatior, faciliusque apparet, cur Pylades ea, quam versibus insequentibus ostendit, animi constantia se praestet. Quoniam autem Euripides persaepe res vere Athenienses in fabulis tractat, non mirum est, quod ad Pyladis recusationem magis probandam hereditate scienter utitur (cf. Wecklein.).

Iam ad singula quaerenda accedamus.

Ut ex vss. 695 sq. 915. 922 apertum est, *γαμῶν* non pro participio futuri, ut Porsonus Seidlerus nuperque Weilius censuerunt, est habendum, sed pro participio praesentis; significat autem „in matrimonio habere." Troad. 959 sqq. *ὁ καινός μ' οὗτος ἁρπάσας πόσις Δηΐφοβος ἄλοχον εἶχεν —, — ἣν βίᾳ γαμεῖ.* Iphig. Aul. 704: (*Ζεὺς ἠγγύησε —*) *γαμεῖ δὲ ποῦ νιν*; Plurima exempla huius usus insunt in prologis: Iph. Taur. 2 sq. *γαμεῖ* (— *ἔβλαστεν.*) Phoen. 13 (*ἔθετο —*) *γαμεῖ*; ibid. 53. Orest. 19. Helen. 6; Androm. 29. *ἐπεὶ — γαμεῖ.* (aliis locis: Helen. 1222. Ion. 1560). — Perversam autem Seidleri interpretationem putantis *ἔγκληρον γαμῶν* esse „non sine dote habiturus" recte refutavit G. Hermannus. Ea autem, quam ipse apographon Florentinum secutus proposuit, mutatio *ἄκληρον* idonea quidem esset ad eum quem modo constituimus sensum participii *γαμῶν*, sed non est, cur traditam scripturam mutemus, praesertim cum Euripides de hereditate, quam ut hoc loco maritus per uxorem consequitur, vocem *ἔγκληρος* etiam Hipp. v. 1010 (cf. Hercul.fur. 468) adhibuerit. (cf. Hartung.)

Versus

714. *ᾧ πάντ' ἐγὼ δοὺς τἀμὰ καὶ πεισθεὶς λόγοις*

715. *μητέρα κατακτὰς αὐτὸς ἀνταπόλλυμαι.*

Wilamovitzius (Anal. I. p. 244 sq.) interpolationem redolere arbitratur, quia Orestes parricidium praesente choro ante cognitionem pronuntiare nequeat et sententia valde frigeat.

Diligenter si hunc locum consideramus, concedendum

nobis est, illius rei mentionem ante cognitionem germanorum non apte hic collocatam esse. Attamen, ni fallor, facile potest defendi. Valde enim requiritur sententiarum conexu. Nam Orestem, postquam sepulcrum exstruendum, sororis salutem servandam amico mandavit eumque valere iussit, ita ut ad mortem subeundam paratissimus sit, nonne maxime consentaneum est, in fine orationis totam fortunam suam comprehendere, se, quamquam perfecerit quidquid facere ab Apolline iussus sit, tamen capitis supplicio affici? Haec res si abesset, sententia, v. 711 inchoata, esset mutilata aptaque conclusione privata. Apollo enim, si pudore oraculorum commotus Orestem non decepisset nisi ita, ut quam longissime a Graecia eum removeret, nondum omnino decepisset. Namque fieri poterat, ut oracula illa in Taurorum terra explerentur. Itaque tum demum, cum hoc factum non est, Apollo Orestem omnino destituit. Atque hoc temporis momentum nunc adesse Oresti videtur. Huc accedit, quod Pylades inde a vs. 716 summas res orationis amici deinceps repetens similibus verbis de illa re utitur: *τὸ τοῦ θεοῦ μάντευμα* = *ὁ Φοῖβος μάντις ὤν*; *σὲ διέφθορε* = *ἀνταπόλλυμαι*. Quae quidem argumenta ex loco ipso petita maioris arbitror momenti esse quam id, quo Wilamovitzius sententiam suam defendere studuit. Cum enim observasse sibi videatur, Euripidem, quamquam ut omnino in iis, quas suprema aetate scripsisset, tragoediis ita maxime in hac Iphigenia tractanda haud ita magnam posuisset diligentiam, nusquam tamen violasse probabilitatem, immo potius vel nimis ei studuisse, doctissimus ille vir sibi persuasit, etiam hoc loco poetam a legibus veri similitudinis non aberrasse. Fortasse autem rerum probabilitatem tueri licet, dummodo versus illos vel sola verba *μητέρα κατακτάς* actorem aversum a choro, ne ab hoc audiri videretur, submissa voce pronuntiasse statuamus. cf. Helen. 1197: ubi Theoclymenus clara voce dicit: *οὐδέν τι χαίρω σοῖς λόγοις*, einde submissa *τὰ δ' εὐτυχῶ*. Ion. 1521: *δεῦρ' ἔλθ'· εἰς οὖς σοι τοὺς λόγους εἰπεῖν θέλω κτλ.* Heraclid. 962. Hecub. 736—751.

735. ὅρκον δότω μοι τάσδε πορθμεύσειν γραφὰς
736. πρὸς Ἄργος, οἷσι βούλομαι πέμψαι φίλων.

Versus 736 suspectus Badhamo, spurius Weilio G. Dindorfio Weckleinio Witteno (p. 29) videtur, quia rem, quae sequatur (vss. 744 sq.), praecipiat, otiosus sit, violet stichomythiam.

Iphigenia Orestis interrogatione, qua illius oratio interrumpitur, quid velit comprehendere cogitur. Itaque cum modo timuerit, ne, qui epistolam Argos laturus sit, e Taurorum terra egressus mandata pro nihilo ducat, ac cum nuntium velit mittere potissimum ei quem carissimum habeat (vss. 639 sq.), iusiurandum proponenti accurate sibi dicendum esse censet, quo et ad quem litterae deferendae sint. Verba τάσδε πορθμεύσειν γραφὰς πρὸς Ἄργος οἷσι βούλομαι πέμψαι φίλων, cum eadem fere intra paucos versus bis

(ἀγγεῖλαί τί μοι)
583. πρὸς Ἄργος ἐλθὼν τοῖς ἐμοῖς ἐκεῖ φίλοις
δέλτον τ' ἐνεγκεῖν
589. εἰς Ἄργος αὖθις τὰς ἐμὰς ἐπιστολὰς
πέμψειε σωθεὶς τῶν ἐμῶν φίλων τινί
et
733. ὁ τήνδε μέλλων δέλτον εἰς Ἄργος φέρειν
767. σήμαινε δ' ᾧ χρὴ τάσδ' ἐπιστολὰς φέρειν
πρὸς Ἄργος

inveniantur, quasi formulam, quae utramque illarum rerum continet, Euripides adhibuit, ut id, quod gravissimum esset, a spectatoribus animadverteretur. Itaque versum 736 non sine consilio a poeta scriptum esse partemque eorum quae modo pronuntiata sunt repetere putaverim. Cui sententiae, quandoquidem causa repetitionis manifesta est, meo arbitratu non obstat, quod paulo post iterum de iis agitur, ad quos epistola perferenda sit.

Restat, ut de numeris versuum quaeramus. Weckleinius et Weilius aequalitatem eorum inde a v. 734 incipere putant; atque alter quidem propterea, quia Euripides versum 738 quasi formulam stichomythicam usurparit; alter, quod versu 736 deleto locus, quo agatur de iureiurando, duas complectatur partes novenorum versuum (734—743=744-752). Sed num in formula illa, quippe quae in quarto demum, non in

primo vel secundo stichomythiae versu reperiatur, illud indicium inest? Magis probatur quidem, sed ad versum delendum per se non satis valet Weilii opinio. Accedit, quod, ut Heilandus (p. 15) recte observavit, personae et Euripideae et Sophocleae, cum animis vehementer commoventur, quid sentiant pluribus ita exponere solent, ut stichomythia interrumpatur. cf. Alc. a vs. 1072 usque ad finem tragoediae, imprimis v. 1133. Elect. 574. Alc. 817—820. ibid. 1119—1125. Soph. Oed. R. 334. Elect. 1223.

Quoniam igitur consilium eadem fere vocabula repetendi perspicuum est, Klotzio assentior, Iphigeniam absolvere inchoatam orationem ac stichomythiae rationem a v. 737 exoriri.

Vs. 782. *τάχ᾽ οὖν ἐρωτῶσ᾽* (Cod. B.) *εἰς ἄπιστ᾽ ἀφίξομαι*
(*ἐρωτῶν σ᾽* Cod. C.)

vel corruptum vel spurium iudicat G. Dindorfius, quia „lectoris animum ad miraculum praeparaturus sit, quod proximis versibus narretur."

Qua de re priusquam disseratur, investigandum videtur, quae persona eum in medium proferat. Pyladi tribuit Kirchhoffius codices secutus exclamationem *ὦ θεοί* et versus 781 sq.; tantum vocabula *ὦ θεοί* et senarium 781 eidem dat Kvíčala (Beitr. p. 252), quia hoc loco Iphigenia nisi cum Pylade non colloquatur Orestis nullam habens rationem. Contra G. Hermannus, cui omnes reliqui editores assensi sunt, recte docet, exclamationem illam et versum 781 dandum esse Oresti, qui inde a 769 sqq. magis quam Pylades animo commoveatur necesse sit. Sed cui versus 782 tribuendus sit, critici non consentiunt: alii eum esse arbitrantur Orestis, alii Iphigeniae. Illi tribuunt ita mutatum:

Rauchensteinius *τάχ᾽ οὖν ἐρωτῶν εἰς τὰ πίστ᾽ ἀφίξομαι*
vel *τάχ᾽ οὖν τι μᾶλλον εἰς ἄπιστ᾽ ἀφίξομαι*
Schenkelius [1]) *τάχ᾽ οὖν ἐρωτῶν σφ᾽ εἰς τὰ πίστ᾽ ἀφίξομαι*
Witzschelius *τάχ᾽ οὐκ ἐρωτῶν εἰς ἄπιστ᾽ ἀφικόμην*
(ut submissa voce versus sit dicendus)

---

[1]) Philologus, XX. vol. p. 477.

Kirchhoffius *τάδ᾽ ὡς ἐρωτῶν σ᾽ εἰς ἄπιστ᾽ ἀφικόμην*
vel *κλύων, ἐρωτῶν δ᾽ εἰς ἄπιστ᾽ ἀφίξομαι.*

At veri simile non videtur, senario 781 pronuntiato Orestem prae summa animi affectione plura addidisse. Quam ob rem, opinor, reliqui viri docti maiore iure sibi persuaserunt, v. 782 esse tribuendum Iphigeniae. — Cum autem verba *τάχ᾽ οὖν ἐρωτῶσ᾽ εἰς ἄπιστ᾽ ἀφίξομαι* in ore Iphigeniae hoc loco ferri non posse appareat, alii emendando, alii transponendo versu corruptelam sanare studuerunt.

De emendandi igitur conatibus dicendum est.

Iphigenia tam saepe interrogationibus peregrini, quem suarum ipsius rerum domesticarum gnarissimum antea (vss. 507 sqq.) cognoverat, interpellata sine dubio sensit, haud ita multum fidei Argis epistolae habitum iri. Cui quo magis credatur, incredibilia studet probare dicens *λέγ᾽ οὕνεκ᾽ κτλ.* vss. 783 sq. Inter hos trimetros et verba *ἢ σοῖς ἀραία — Ὀρέστα* (vss. 778 sqq.) transitionem requirens Heimsoethius (Krit. Stud. p. 61) scribendum esse censet

τάχ᾽ οὖν σ᾽ ἔροιτ᾽ ἄν, πῶς ἄπυστος ᾠχόμην,

quae mutatio, quamquam sensum praebet satis aptum, tamen propter violentiam comprobari non potest; probabilius, quod ad scripturam attinet, coniecit Weilius

τάχ᾽ οὖν ἐρωτῶν σ᾽ εἰς ἄπιστ᾽ ἀφίξεται.

Minime probatur id, quod commendat Badhamus *τάχ᾽ οὖν ἐπῶν τῶνδ᾽ εἰς ἀ. ἀ.* et Klotzius *τάχ᾽ οὖν ἐγῷδ᾽ ὡς εἰς ἀπ. ἀφ.* Alii rati sacerdotem ad *πέραινε* respondere eandemque ad incredibilia, quae statim sequuntur, animos velle praeparare, proponunt:

Schenkelius:	*τάχ᾽*	*οὖν*	*περαίνουσ᾽*	*εἰς*	*ἄπιστ᾽*	*ἀφίξομαι*
Seidlerus:	*τάχ᾽*	*οὖν*	*ἐρῶ· τῶν δ᾽*	*εἰς*	,,	,,
Kvícala:	,,	,,	,, *· τοῖς*	,,	,,	,,
Bauerus: 1.,	,,	,,	,, *· πῶς δ᾽*	,,	,,	,, ;
,, 2.,	,,	,,	,, *· πῶς δ᾽*	*εἰς τἄπιστ᾽ ἀφ;*		
,, 3.,	,,	,,	,, *πᾶν ·*	} *εἰς δ᾽ ἄπιστ᾽ ἀφ.*		
,, 4.,	,,	,,	,, *πάντ᾽·*	}		

At utcumque versus ille emendatur, in hoc conexu non solum minime necessarius, verum etiam satis molestus videtur.

Itaque meo quidem iudicio non sine causa G. Hermannus coniecit, illum versum ad eam pertinuisse quaestionem, quam Iphigenia de fratre cognoscendo instituit.

Deinceps igitur, ut erat propositum, sententiae ponderentur eorum, qui trimetrum alio loco ponunt. Ubi autem locandus sit, homines docti non consentiunt duasque vias ineunt: alius immutatum, alii emendatum eum transponi debere arbitrantur.

Ac Weckleinius, quia versu antecedente (781) non modo ea, quae opus sint, contineantur, verum etiam omne excludatur additamentum, trimetrum 782 integrum ante v. 810 collocat, unde vitio librarii in falsam paginam aberraverit. Illic enim cum non perspicuum sit, quo particula *οὐκοῦν* pertineat et quam ob rem, dum Iphigenia indicium audiat, Orestes de rebus domesticis loquatur, requiri causam, cur proferatur *οὐκοῦν — ἐμέ*. Namque sacerdotem, cum paulisper (post v. 809) secum consideraverit, quid faciendum sit, in eam incidere opinionem, sese, quia peregrinus rogatus aliquod ex parte quidem aptum invenire possit responsum sed non firmum ad probandum, quaerendo fortasse nihil nisi res quae fide careant esse cognituram. Hanc ob causam tutius esse, Orestem ipsum pronuntiare ea, quae memoria teneat. Nam si res plane domesticas, quas nemo nisi qui ipse cognoverit scire possit, ultro in medium proferat, non esse, cur ei fides non adiungatur. Huc accedere, quod hac translatione aequalitas numerorum versuum restituatur. Quae sententia num recta sit, accurate investigandum est.

De conexu versuum 809 et 810 ambigi potest, quia verbum *πυνθάνου* valet et „auditione accipe“ et „quaere.“ His ex significationibus prior, quae plerisque viris doctis probatur, hoc fere habet quo commendetur. Utut fieri potest, Orestes Iphigeniae vult persuadere, se Agamemnonis vere filium esse. Qua de re magna vi modo interrogatus nihil antiquius habet, quam ut statim signum se velle in medium proferre respondeat. Itaque nexus sententiarum hic est: Habes indicium et me iubes audire; igitur te referre oportet, me audire. Inde apparet, et particulam *οὐκοῦν* et membrum *μανθάνειν δ' ἐμέ* suo esse loco.

Prorsus aliter res se habet, si altera vis imperativi *πυνθάνου* accipitur, quae eo potest defendi, quod Iphigenia vss. 803—8 interrogantis personam tam graviter gessit, ut Orestes opinaretur, illam etiam documentum ex ipso esse quaesituram. Hiare commissuram sententiarum Weckleinius recte perspexit. Quae quomodo implenda esset, iam ante Weckleinium Hartungius accommodatius ad persuadendum exposuit. Etenim Iphigeniam — quia, si quid video, Orestem vss. 544—568 res, quae ad Agamemnonis domum spectant, haud ignorare vidit (cf. v. 592) — metuere debere, ne, si ipsa ex peregrino res plane domesticas sciscitaretur, eum his ipsis interrogationibus eo adduceret, ut aptam responsionem inveniret. Nam facillime, quid ipsa vellet, advenam perspecturum ipsique partim interrogatione partim assensu documenta esse eliciturum. Quae si hoc modo cognoscuntur, non satis idonea ea esse ad fidem faciendam manifestum est. Ideo addendum videtur, cur Iphigenia rationem quaestionis instituendae adhuc adhibitam repente velit commutari. Quod quidem additamentum continetur trimetro 782. Huc accedit quod, ut infra apparebit, v. 782 ad stichomythiam reficiendam necessarius est. Praeterea exemplo (Hecub. vss. 756—758. cf. G. Dind. annot.), quod Weckleinius attulit, probabile fit, quomodo hic versus olim ante v. 810 positus locum suum mutare potuerit. Quoniam igitur senario et artus sententiarum nexus et aequalis versuum alternantium numerus nascitur, Weckleiniana interpretatio mihi quidem videtur praeferenda ei, quam supra commemoravimus.

Iam eo ventum est, ut videamus, quid de eorum sententia dicendum sit, qui illum versum immutatum transposuerunt in alium locum. Hartungius, quocum Koechlyus et Zieglerus sentiunt, eum recte quidem ante vs. 810 collocavit, sed sine iusta causa, quamvis haud inepte, ita mutavit: *τάχ᾽ οὐκ ἐρωτῶσ᾽ εἰς τὰ πίστ᾽ ἀφίξομαι.* Post versum 811 autem, ubi G. Hermannus eum hoc modo correctum *τάχ᾽ οὐκ ἐρωτῶσ᾽ εἰς ἄπιστ᾽ ἀφ.* ad stichomythiae rationem restituendam poni iussit, valde supervacaneus est. —

Versus igitur 782 eo, quo in codicibus exstat, loco sine gravibus coniecturis nequit retineri ibique plane otiosus

est. Quoniam autem sine ulla mutatione inter senarios 809 et 810 collocatus artam cogitatorum consecutionem efficit et stichomythiam restituit, eum in illum locum inserere quam delere malim.

Documenta, quibus se Agamemnonis vere filium esse ostendere ab Iphigenia iussus est, Orestes in duas partes ita dividit, ut prius eas, quas ab Electra audivit, v. 811, deinde quas ipse vidit, v. 821. res narrandas sibi proponat. Quorum versuum priorem

ας [1]

811. *λέγοιμ' ἂν ἄκουε πρῶτον Ἠλέκτρᾳ τάδε*

a Nauckio in suspicionem vocatum damnavit Behrnsius (p. 12 sq.), cui assentitur Wittenus (p. 30.), uti prorsus inutilem et supervacaneum, atque his duobus quidem argumentis commotus. Primum Orestem, cum omnes eas res, quas vss. 812—821 commemoret, suis oculis videre non potuerit, opponere oportere *οἶσθα γενομένην ἔριν* et *ἃ δ' εἶδον αὐτός*. Deinde versu 811 moleste aequalitatem numerorum versuum interrumpi neque duas stichomythias hic esse statuendas. Nam cum nec personae loquentes mutentur, et versus 811 cum iis quae sequuntur artissime cohaereat, nullam iustam exstare causam, cur nova *στιχομυθίας* ratio incipiat. — Eadem de causa iam G. Hermannus, ut stichomythiam restitueret, versum 782 ante vs. 812 locavit (cf. supra ad vs. 782). Contra Kvícala (Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1858. VIII. p. 622 sq.) cum Seidlero Badhamo Heilando (p. 15) contendit, duas esse stichomythias, quarum in priore v. 811 ad finem perducta Orestes respondentis partes, in altera, quae inde v. 812 caperet initium, interrogantis ageret. Sed recte Behrnsius exposuit, exemplo (vss. 735 sqq.), quo Kvícalae observatio niteretur, confirmari quidem huiusmodi vices partium, sed minime ex eo apparere,

---

ας

[1]) *Ἠλέκτρα* Pal., *Ἠλέκτρᾳ* Laur.: quae res aut ita explicanda est, ut duas lectiones iam in archetypo fuisse statuamus, aut ita, „ut C dubitaverit, essetne signum in arch. adscriptum iota an sigma, P iota crediderit omiseritque more solito“ (Wilamovitz. anal. p. 32.)

alteri personae „plura quam in antecedentibus tribui dicenda.“ Itaque ego quoque unam hic esse stichomythiam veri similius puto. Attamen multum abest, ut Behrnsium secutus ad eam efficiendam versum 811 interpolatori tribuam. Nam maxime consentaneum est, Orestem illas res sibi notas, quas ipse non viderit, aliorum auxilio cognosse, i. e. ab aliis audivisse. Quae res potest quidem ex verbo *οἶσθα* concludi, sed tamen maiore vi videtur efferenda. Etenim membrum *ἃ δ' εἶδον αὐτὸς* oppositionem requirit graviter pronuntiatam atque Euripides res, quas deinceps est tractaturus, diserte solet proponere: Med. 535 sq. — *ὡς ἐγὼ φράσω. πρῶτον . . . . κατοικεῖς κτλ.* 547: *ἃ δ' εἰς γάμους μοι βασιλικοὺς ὠνείδισας, ἐν τῷδε δείξω πρῶτα μὲν σοφὸς γεγώς, ἔπειτα σώφρων, εἶτα σοὶ μέγας φίλος καὶ παισὶ τοῖς ἐμοῖσιν.* Helen. 138. *δύο δ' ἐστὸν λόγω.* 139. *πότερος ὁ κρείσσων . . .* 141 *θάτερον δὲ τί;* Hec. 986. *πρῶτον μὲν εἰπὲ . . . τὰ δ' ἄλλα δεύτερον σ' ἐρήσομαι.* Heraclid. 236: *τρίσσαι μ' ἀναγκάζουσι συμφορᾶς ὁδοί . . .* (238) *τὸ μὲν μέγιστον . . .* (240) *τὸ συγγενὲς . . . .* (243) *τὸ αἰσχρόν.* (Suppl. 901). Huc accedit, quod, ut supra ostendere conati sumus, v. 782 ad ordinem sententiarum reficiendum ante vs. 810 collocandus est. Quo fit, ut aequalitas numerorum versuum oriatur. *ἄκουε*, quod in codicibus exstat, omnium, qui versum retinent, consensu recte a Marklando emendatum est in *ἀκοῇ* (Heracl. fur. 962 *ἀκοήν.* Phoen. 819); inde *Ἠλέκτρας* scribendum esse apparet.

Orestes, postquam ea, quae ab Electra audiverat, pronuntiavit, id, quod ipse vidit in domo paterna, profert: Pelopis hastam in Iphigeniae conclavi absconditam,

v. 823. *Πέλοπος παλαιὰν ἐν δόμοις λόγχην πατρὸς*

. . . .

826. *ἐν παρθενῶσι τοῖσι σοῖς κεκρυμμένην.*

Hunc versum interpolatori fortasse tribuendum esse Wilamowitzius (Anal. p. 245) coniecit, quia *ἀναγνωρισμῷ* sufficeret, si Orestes hastam in aedibus patris vidisset ac conclave virginis esset mirum armamentarium.

Orestes cum antea (vss. 543 sqq.) se gnarissimum rerum domesticarum esse ostenderit, hastam ita universe, ut omnis fere Argivus poterat, describens non satis certum afferret indicium. Quapropter addere debebat documentum, quo necessarie demonstraret, vel abditas occultasque res domus Agamemnonis se penitus cognovisse. Porro, quia illa cellula recondita et abdita omnium tutissimus erat locorum, hastam, quae permagni aestimaretur, illic conditam esse haud prorsus absurdum videtur. Cf. Weckleinii adnot.

Orestem gaudio sororis repertae nimis deditum Pylades monet, ut de eo desistat atque curet quomodo ea re, quod sacerdotem cognoverit sororem, ad Dianae statuam adipiscendam reditumque parandum quam optime utatur. Quam adhortationem concludit hac sententia generali

907. *σοφῶν γὰρ ἀνδρῶν ταῦτα μὴ 'κβάντας τύχης*
καιρὸν λαβόντας ἡδονὰς ἄλλας λαβεῖν.

Hos versus in suspicionem vocavit L. Dindorfius, cui propter verbum *λαβεῖν* intra paucos senarios quater (vss. 903. 905. 908) repetitum Zieglerus dubitanter assentitur; ceteri critici non conveniunt, qui sensus sit loci.

Apparet, si particula *μὴ* cum *ἐκβάντας* coniungitur, aliam sententiam nasci ac si ad verba *ἡδονὰς ἄλλας λαβεῖν* refertur. Primum igitur in opiniones eorum inquiratur, qui ad participium *ἐκβάντας* illud *μὴ* pertinere arbitrantur. Kvícala (Beitr. p. 255), quocum Klotzius sentit, nixus Aesch. Sept. 65 *καιρὸν λαβεῖν* interpretans „opportunitatem oblatam statim capere eaque uti“ locum ita intellegit: sapientium esse, fortunam non negligere, sed opportunitatem capientes (i. e. sapienter capiendo) etiam alia sibi comparare gaudia, ut *ἡδοναὶ ἄλλαι* respondeant vocabulis *κλεινὸν ὄνομα σωτηρίας*. Contra quam interpretationem Engerus (Mus. Rhen. 17. vol. p. 614 sq.) monet haec. Primum exspectari *καὶ ἄλλας*. Omnino autem haec verba suo loco non esse, quia antea *ἡδοναὶ* non sint commemoratae. (Sed versibus 902—4 gaudium esse pronuntiatum, Engerus quoque facere non potest quin concedat, ut statim apparebit). Deinde verba *ἡδονὰς ἄλλας* spectare non posse

nisi ad id gaudium, cui germani modo se dederint (902—4). Tum illam sententiam universam ideo non quadrare, quod Pylades Orestem non cohortetur, ut laetitiae sororis inventae addat laetitiam salutis, sed potius ut cum sorore animum delectare desinat (v. 904 $\lambda\acute{\eta}\xi\alpha\nu\tau\alpha$ δ' $o\H{\iota}\kappa\tau\omega\nu$) ac maxime, in quo tota salus sit posita, operam det, ut deae simulacrum assequatur. At non solum id Pylades amicum admonet, verum etiam ut cognoscere studeat, qua ratione e barbarorum terra evadant, atque ita ut alterum ab altero non debeat separari. Nam quid peregrinis prodesset, si, ut signum illud essent nacti, supplicio afficerentur? Nunc autem maxime id agendum est, ut simulacro potiantur. Illis quae commemoravi argumentis commotus Engerus particula δ' post $\lambda\alpha\beta\acute{o}\nu\tau\alpha\varsigma$ inserta in hoc loco hanc sententiam inesse putat. „Prudentis est, ait, de via fortunae secundae non decedere, sed opportunitate usum aliis (anderweitigen) sese dedere gaudiis, i. e. prudens occasione id quod petit assequendi oblata utitur et tum demum alias capit voluptates.“ Sed etiam hae voluptates quibus opponantur, diserte non indicatur. Quam ob rem dubito, num interpretatio Engeriana, quamquam cum re Orestis convenire videtur, comprobanda sit.

Deinceps disserendum est, num recte de versibus illis iudicaverint, qui negationem $\mu\dot{\eta}$ cum verbis $\dot{\eta}\delta o\nu\grave{\alpha}\varsigma$ $\H{\alpha}\lambda\lambda\alpha\varsigma$ $\lambda\alpha\beta\varepsilon\tilde{\iota}\nu$ iunxerunt.

G. Hermannus eumque secutus Witzschelius illam sententiam generalem censent esse hanc: sapientis esse, non alias sectari voluptates, deserta fortuna, ubi utendi opportunitas sit data. De qua opinione Badhamus ita iudicat: „Haec ipsa non modo impeditissima, sed hoc loco etiam inepta sunt. Quis enim sanus de Oreste loquens, qui prae gaudio repertae sororis curam futurae salutis omittebat, eum alias sectari voluptates diceret?“ Sed Pylades amplexus quidem germanorum approbat (vss. 902 sq.); improbat vero commiserationes longius productas (v. 904. $\lambda\acute{\eta}\xi\alpha\nu\tau\alpha$ δ' $o\H{\iota}\kappa\tau\omega\nu$). Haec aspera sententia ab animo Pyladis, quippe qui rem, cuius causa cum amico in fines Tauricos profectus est, diligenter spectet (cf. uspra ad v. 76. — vss. 904—6), minime aliena est. Quando-

quidem autem germani et amplexibus et commiserationibus certe gaudent, hae, quasi alterum gaudiorum genus, illis possunt opponi. Quae cum ita sint, vocabula ἡδονὰς ἄλλας (i. e. voluptates ad Orestis fortunam non idoneas) ad commiserationes (v. 904) refero. Si Koechlyo auctore ad totam voluptatem sororis modo inventae referenda essent, Pylades contra se ipse diceret. Nam amplexus (vss. 902 sq. περιβολὰς εἰκὸς λαβεῖν) et ex parte commiserationes (λήξαντα δ' οἴκτων), quae modo approbasset, statim improbaret (μὴ . . . . ἡδονὰς ἄλλας· λαβεῖν). Nimis dure Weilius voces illas interpretatur vanas voluptates. Participium λαβόντας Koechlyus recte ita defendit, ut id oppositum esse illi (ἡδονὰς ἄλλας) λαβεῖν censeat. Quam ob rem nec Weilii mutatione λαχόντας nec Heimsoethii (Krit. Stud. p. 103 sq.) λιπόντας opus est. Quibus de causis Koechlyi vestigia secutus ego hanc interpretationem versuum 907 sq. propono: Sapientium est, non, cum opportunitatem nacti sunt, e fortuna egressos aliis se dedere gaudiis. Pylades igitur amicum admonet, ne occasionem commode oblatam signi deae capiendi reditusque parandi praetermittens in commiserationibus diutius versetur. Atque ut quaeramus, num versus deesse possint, si desunt, conexus non interrumpitur. Sin autem retinentur, Pylades, ut saepenumero in fine gravium orationum Euripidearum fit, ea, quae modo dixit, sententia universa aptissime confirmat atque concludit. Quare, quia Euripides in eodem versu vel intra paucos versus eandem vocem interdum repetit, (Andr. 432, 976. Bacch. 655. Hel. 650. Iph. Taur. 721 sq. Alc. 1017), quamquam exemplum eiusdem vocabuli toties quoties hoc loco iterati invenire non potui, tamen quoniam haec repetitio per se non satis certum praebet interpolationis indicium, versus 907 sq. ab Euripide ipso scribi potuisse non negaverim.

Orestes, simulac longiore oratione, quae post matris caedem usque ad tempus praesens sibi accidissent, diserte exposuit, Iphigeniam orat atque obsecrat, ut ipsum in deae

statua auferenda, in qua tota et sua ipsius et domus paternae salus sita sit, adiuvet. His precibus illa sic respondet:

v. 989. *τὸ μὲν πρόθυμον, πρίν σε δεῦρ' ἐλθεῖν, ἔχω*
Ἄργει γενέσθαι καὶ σέ, σύγγον', εἰσιδεῖν.
θέλω δ' ἅπερ σύ, σέ τε μεταστῆσαι πόνων
νοσοῦντα δ' οἶκον, οὐχὶ τῷ κτανόντι με
θυμουμένη, πατρῷον ὀρθῶσαι θέλω.
σφαγῆς τε γὰρ σῆς χεῖρ' ἀπαλλάξαιμεν ἂν
σώσαιμι τ' οἴκους . . .

Quibus ex versibus vss. 990 et 992—994 tam graves dubitationes nonnullis criticis iniecerunt, ut tamquam interpolatoris additamenta proscriberentur. Quod num recte factum sit, inquirendum videtur.

Ac primum quidem versum 990 abesse mavult Nauckius, cuius sententiam Oerius (Verhandlungen der Philol. Vers. 1876. p. 160) comprobat et Kvícala (Beitr. p. 259 sqq.) defendere studet his de causis:

(1) Primum offendi oportere in verbis ipsis. Namque Iphigeniam, cum fratrem habeat, dicere non posse *τὸ μὲν πρόθυμον . . . . . σέ, σύγγον', εἰσιδεῖν*. Hermanni constructionem autem: *τὸ μὲν πρόθυμον Ἄργει γενέσθαι ἔχω, πρίν σε δεῦρ' ἐλθεῖν καί σ' εἰσιδεῖν* — ut neminem fugit — propter collocationem verborum esse improbandam; perinde non dignam esse, quae approbetur, interpretationem Hartungii: „längst, noch ehe du hierher kamst, wünschte ich zu Argos zu sein und dich (dort) zu sehen, d. h. zu besitzen.“ Recte quidem in his verbis „zu besitzen“ offensio invenitur; sed cur vocabulum, quale est dort vel hier, supplendum non sit, non intellegitur. Ubinam nisi Argis fratrem se visuram esse Iphigenia sperare poterat?

(2) Deinde versus 989 sq. quadrare nec ad ea quae antecedunt nec ad ea quae sequuntur. Nexum enim sententiarum esse hunc. Iphigeniam Oresti ad salutem parandam vehementer cohortanti respondere debere, se paratissimam quidem ad opitulandum, sed deam et regem esse timendum. Hanc ob causam sorori iam ante v. 995 fuisse dicendum, se fratrem in deae simulacro surripiendo iuvaturam esse. Quod

ut efficiat, Kvíčala verba πρίν σε δεῦρ' ἐλθεῖν nimis artificiose interpretans „priusquam a me petieris" versus 992—994 sine iusta causa (de his infra videas) delet particulamque μέν v. 989 ad δέ membri τὴν θεὸν δ' ὅπως λάθω (v. 995) refert, ut verba θέλω — πόνων, σώσαιμι δ' οἴκους quasi explicatio in parenthesi posita rem atque causam versus 989 exprimere putanda sint.

(989. τὸ μὲν πρόθυμον, πρίν σε δεῦρ' ἐλθεῖν, ἔχω,
991. θέλω δ' ἅπερ σύ, σέ τε μεταστῆσαι πόνων,
995. σώσαιμι δ' οἴκους· τὴν θεὸν δ' ὅπως λάθω.)

Praeterquam quod versus 989 Kvíčala iudice unum idemque significat ac θέλω — οἴκους, concinnitas enuntiatorum valde perturbata est. Itaque iure docuit Koechlyus (emend. II. p. 4), nec illud μέν ad tertium δέ pertinere nec optativum σώσαιμι particula δέ verbis σέ τε μεταστῆσαι πόνων adnecti ullo modo posse. Iam inde satis apparet, falsam esse Kvíčalae opinionem.

Aliae autem causae accedunt. Versu 990 remoto „sententia misere hiat, cum ante colloquium cum Oreste habitum Iphigenia profecto illa de fratris atque domus cladibus a se sanandis scire non potuerit" (Koechlyus ibid.). Porro, quia vss. 989—1006 Iphigenia iis respondet, quae frater inde a vs. 979 dixit, maxime consentaneum est, eam versibus 981 sq. auditis Argos redeundi consilium, quod certe, ut ex epistola illa (769 sqq.) potest concludi, saepissime agitaverat, hoc temporis momento in memoriam revocare. Desiderio autem fratris videndi, quem unum haberet, in quo totius domus suae salus niteretur, eam numquam commotam esse putas? Immo supra vidimus (ad vs. 349), eam, quotiens occasio esset data, fratris meminisse. Quam quidem rem Nauckius cum non satis perpendisse videatur, versum 349 pro adulterino habuit nec mirum, quod etiam eum, de quo nunc disputamus, damnandum arbitratur. Ex quo simul intellegitur, Oerii argumenta, cum ex sententia Nauckii pendeant, nullius esse momenti.

Quamquam versum 990 retinendum, tamen v. 989 emendandum putat Weilius offendens in verbi ἔχω significatione praeteriti temporis, quia cum huius loci condicionibus non conveniat, Iphigeniam nunc loqui de praeterito tempore. Ita-

que pro *πρόθυμον* commendat *ποθεινόν* versusque hunc in modum explicat: „Quod ante adventum tuum cupiebam, habeo (je le tiens): possum Argos reverti et frui voluptate tui videndi.“ Contra quam sententiam haec dicenda videntur. Primum praesentis temporis forma *ἔχω* coniuncta cum praeteriti notione hic complectitur, ut Weckleinius vidit, tempus praeteritum (*πρὶν . . . ἐλθεῖν* cf. Krueger. poet. synt. § 53. I. 1) et praesens: habe ich schon seit der Zeit, wo du noch nicht hier warst. Deinde intolerabilis est illa coniunctio verborum *τὸ ποθεινόν* et *πρίν σε δεῦρ' ἐλθεῖν*. Quibus de causis dubitari nequit, quin codicum lectio servanda et mutatio *ποθεινόν* reicienda sit.

Sequitur, ut de vss. 992—994 quaeratur. Etsi iam supra apparuisse puto, propter concinnitatem enuntiatorum nullo pacto fieri posse, ut Kvíčala auctore versus illi pro insiticiis habeantur, tamen locus, de quo sanando critici dissentiant, accuratius pertractandus est.

Hunc ut ab interpolatore esse profectum ostendat, Kvíčala praeter sententiam, quam, ut supra vidimus, restituere voluit, hisce utitur argumentis:

(1) primum moleste ferri repetitum verbum *θέλω* (v. 993); deinde

(2) frigida et inania atque ab hoc loco aliena esse verba *οὐχὶ τῷ κτανόντι με θυμουμένη*; tum vero

(3) intolerabilem esse tautologiam quae insit in *σφαγῆς . . . . ἀπαλλάξαιμεν ἄν* et *σέ τε μεταστῆσαι πόνων* atque in *σώσαιμι δ' οἶκον* et *νοσοῦντα τ' οἶκον . . . . θέλω*, quae eo minus ferenda sit, quia particula *γάρ* (v. 994) eadem sententia quasi confirmandi causa addatur. —

Alterum *θέλω* Seidlerus ita defendit, ut post *σύ* ponat interpunctionis signum, quod colon vocatur. G. Hermannus autem, qui Witzschelium et Zieglerum nactus est astipulatores, in illo verbo per anacoluthi figuram iterato graviorem quandam affirmationem inesse contendit; similiter Klotzius: „hoc ipsum“ inquit, „ab Iphigenia maximo opere erat premendum, de sua voluntate dubitari plane non posse.“ At de Iphigeniae voluntate, quandoquidem satis graviter verbis *πρόθυμον* et

θέλω in enuntiatorum initio positis est expressa, certe nunc dubitari nequit; quam ob rem Marklandus, nixus Soph. Antig. v. 169 ὤρθωσαν πάλιν, proposuit πάλιν, quod reliqui editores receperunt. Iam videamus de vocibus τῷ κτανόντι με θυμουμένῃ. Nequaquam eae sunt otiosae, dummodo diligenter observes, quam aegre Iphigenia illud patris facinus tulerit. cf vss. 209 sqq. 359 sqq. 852 sqq. Meo quidem arbitratu huius rei diserte ideo facit mentionem, ut frater statim intellegat, sororem nunc omne in patrem deposuisse odium neve postea, cum hoc meminerit, fortasse dubitet de Iphigeniae voluntate opitulandi.

Proximum est, ut de repetitione illa sententiarum quaeratur. Weilius Bauerus Zieglerus Klotzius sine ulla mutatione ordinem versuum, quem codices exhibent, retinent neque facere possunt, quin in vocabulis σφαγῆς — οἴκους inesse explicationem versuum 991—993 censeant. Senario enim 994, cum certe pertineat ad σέ τε μεταστῆσαι πόνων (cf. v. 981 μανιῶν τε λήξω), exponitur, quomodo Iphigenia fratrem laboribus velit liberare, i. e. quomodo id quod frater vult conficiat. Verba autem σώζειν οἴκους Weilius interpretatur „signum Dianae subducere", quippe in quo salus et Orestis et totius domus Agamemnonis contineatur. (cf. vss. 984—6). Attamen quandoquidem domum illam servare, si sententiam huius loci respicis, idem significat ac domum restituere (v. 993 sq.), molestum est, quod intra paucos versus eadum res eodem sensu iteratur.

Quam difficultatem Weckleinius infringit, cum post v. 993 quaedam excidisse putat. Iphigeniam, enim cum graviter diserteque semel atque iterum voluntatem suam cum fratris congruentem ostenderit, huic facti significationem opponere oportere, i. e. addere, quomodo id, quod petat Orestes, ipsa perficiat. Deinde, quia Kirchhoffio auctore viginti et uno versibus infra conexus lacuna interruptus putandus sit, facillime fieri potuisse, ut infima pagina laesa unus vel plures trimetri delerentur.[1]) Quae coniectura eo confirmatur, quod ex-

[1]) Cf. Wiłamovitz. Anal. p. 3.

tremum versus 993 vocabulum, pro quo ab interpolatore *θέλω* esse falso additum hodie inter omnes fere constat, pari modo in archetypo corruptum fuisse videtur. Propter causas igitur supra allatas Weckleinius conexum ita restituendum existimat: voluntas id, quod tu postulas, perficiendi numquam mihi defuit, atque eadem, quae tu, ego quoque volo. Quae qua ratione conficiam, nondum perspicio: libentissime tibi opitulabor, ut deae statuam adeptus hinc effugias. Ita enim nec te immolare cogar et ex Apollinis oraculo te domumque nostram servabo. Vides abesse tautologiam, in qua Kvícala offendit (cf. ad. v. 991), accuratiusque perspici, cur *κρηπῖδες* appellentur *κεναὶ ἀγάλματος*.

Aliam loci emendandi viam ingressus Koechlyus, cui omnino assentitur Nauckius, vss. 994—998 post v. 1003 collocavit ordinemque sententiarum commendavit hunc: „Patet Iphigeniam, postquam et antiquum redeundi videndique fratris desiderium et praesentem cum fratris votis consentientem voluntatem declaravit, membro per particulam *ἀλλά* aptissime adnexo iam ad consilium ab illo indicatum accedere ita, ut primum, s i q u i d e m frater et deae signum et se ipsam navi imponere potuerit, omnia bene habere concedat, statim vero, aliter si eveniat, se quidem perituram, fratrem vero re bene gesta rediturum esse ostendat: se e n i m (iam vides et *γάρ* rectissime habere nec ullam relinqui tautologiam) certe nec fratrem mactaturam et domum servaturam, h. e. simulacrum fratri tradituram esse, quod tamen ne ipsius deae voluntate a rege detegatur verendum sane esse, quo facto nulla relicta excusatione mortem sibi certissimam fore“ etc. emend. II. p. 7 sq. Quae sententiarum consecutio Weckleinio iudice ideo improbanda est, quod membro *ἐγὼ μὲν ὄλλυμαι* (v. 1002) vehementer requiratur, ut verba dubitationem *τὴν θεὸν ὅπως* . . . *πῶς δ' οὐ θανοῦμαι* . . . . . *λόγος* continentia praegrediantur.

Itaque Weckleinii sententia, quippe quae faciliore ad persuadendum ratione nitatur, praeferenda mihi quidem videtur. Cui iudicio etiamsi quis non assentitur et, cum non

raro apud Euripidem sine causa perspicua versus librarii errore transpositi sint, Koechlyum mavult sequi, id saltem concedat necesse est, nullo pacto versus 994 sq. pro subditiciis esse habendos.

Versus

1010. *ἥξω δέ γ', ἥνπερ καὐτὸς ἐνταυθοῖ πέσω*

1011. *πρὸς οἶκον, εἴ σου κατθανὼν μενῶ μέτα.*

propter *ἐνταυθοῖ* formam in diverbio poëtarum tragicorum inusitatam (cf. G. D. ad Aristoph. nubes 814) expunxit G. Dindorfius — cui confidenter Bernhardyus (Grundr. d. Gr. Lit.-Gesch. II. pars. III. edit. 1872. p. 476.) Oerius (Verhdlg. der Philog.-Versammlg. 1876. p. 160) Metzgerus, dubitanter Weckleinius adstipulatur —, arbitratus verba *κατθανὼν μενῶ* fortasse sumpta esse ex Ionis vs. 1037 et senarios illos ad sententiam duorum trimetrorum antecedentium amplificandam a grammatico quodam additos.

Cum Iphigenia ante Orestis adventum Argis esse eumque videre concupiverit neque ullam sui ipsius rationem habens modo optaverit, ut re bene gesta frater domum redeat — quam quidem rem utpote summam sub orationis finem in medium protulit —, nonne maxime consentaneum est, Orestem diserte sororis reditum commemorare, praesertim cum haec admodum dubia sit, num omnino fieri queat, ut in patriam revertatur? Quam ob rem ego versus illos ab Euripide esse profectos putaverim, quamvis gravibus verborum vitiis inquinati sint. Qui versus retinent, Canterum secuti, pro *εἰ* scribendum esse censent *ἢ* atque, ut tautologia molesta vitetur, *ἄξω δέ σ'* pro *ἥξω δέ γ'*. —

Codicum lectionem *ἥνπερ καὐτός ἐνταυθοῖ πέσω* dubitanter interpretatur Weckleinius „in diese Lage komme, dazu komme nach Hause zu gelangen"; Marklandus, quem sequitur Nauckius, pro *καὐτὸς* proposuit: *μὴ αὐτὸς* vertitque „abducam vero te, nisi ipse hic occubuero". Cui coniecturae recte cum Musgravio Seidlerus contendit obstare membrum *ἢ*

σοῦ κατθανὼν μενῶ μέτα, quo parum accurata oppositio nascatur: „nisi hic occubuero, ducam te domum, aut (i. e. si occubuero) manebo tecumque moriar.“ Vides, quam moleste eadem sententia repetatur. Neque iniuria hanc oppositionem insulse institutam Weilius dicit. Gravissimum autem accedit, quod, ut Elmsleius (ad Aristoph. Acharn. v. 152.) animadvertit, *ἐνταυθοῖ* nusquam apud scriptores Atticos legitur. Sensu probabiliter coniecit Rauchensteinius (p. 15) *ἄξω δέ σ' ἥνπερ χαὐτὸς ἐνθένδ' ἐκφύγω*; Weilius *ἔνθεν ἐκπέσω*. Faciliores mutationes proposuit Seidlerus: *ἥνπερ χαὐτὸς ἐντεῦθεν περῶ*, ut sententia loci sit: „ducam autem te mecum eadem via, qua et ipse hinc in patriam contendam, aut manebo tecumque moriar, i. e. aut eadem ratione, qua ipse servabor, etiam tu servabere, aut ipse servari nolo.“ Sed coniectura *ἥνπερ* opus non est. Itaque assentior Koechlyo totum locum ita scribenti

ἄξω δέ σ', ἥνπερ χαὐτὸς ἐντεῦθεν περῶ
πρὸς οἶκον, ἢ σοῦ κατθανὼν μενῶ μέτα.

ἐντεῦθεν (propria vi usitatum Bacch. v. 464. Aristoph. Av. 10 sq.) et *ἐνταῦθα* Seidlerus adnotat facile esse confusa atque hoc loco pro *ἐνταῦθα* metri causa plenam formam a librario esse scriptam *ἐνταυθοῖ* (Herodian. apud Ioannem Alexandrinum p. 36,2: *τὸ ἐνταυθοῖ τὴν αὐτὴν ἔχει σημασίαν τῷ ἐνταῦθα*; cf. G. Dindorfii annotationem supra citatam); itemque librarii errore *περῶ* mutatum esse in *πέσω*. De significatione verbi *περῶ* cf. Eur. Bacch. v. 212. Phoen. 981. Heracl. fur 701. Iph. Taur. 724, 1217. Soph. Oed. tyr. 531. Ex ea autem re, quod voces *κατθανὼν μενῶ* etiam Jon. vs. 1037 leguntur, interpolationis indicium repetendum non est, quia Euripides, cum eandem sententiam exprimere voluerat, eadem vocabula saepius usurpabat. cf. Gloëlii dissertationis supra commemoratae pag. 10 sqq.

Quoniam igitur versus 1010 sq., quamvis gravibus in codicum scriptura vitiis deformati sint, ita restitui possunt, ut legi queant atque haud ita supervacanei videntur, quippe quibus explicetur, quomodo Orestes cum sorore aut vivere aut mori velit, meo quidem iudicio non est, cur pro spuriis habeantur.

Iam ea, quam tractare mihi proposui, parte ad finem perducta restat, ut eorum, quos e textu removendos esse censeo, versuum conspectum apponam:

vss. 59, 60
„ 70
„ 84
„ 382
„ 478
„ 486.

Corrigenda et addenda.

p. 9	vs. 10	pro	in singulis autem	est	legendum	et in singulis.
„ 11	„ 4	„	postuisse	„	„	potuisse.
„ 11	„ 5	„	consangiuneos	„	„	consanguineos.
„ 11	„ 31	„	earum	„	„	eorum.
„ 12	„ 1	„	μετάσχες	„	„	μετάσχες.
„ 12	„ 3	„	συγγυνής	„	„	συγγενής.
„ 13	„ 24	„	neccessarium	„	„	necessarium.
„ 14	„ 32	„	speculandum	„	„	speculandam.
„ 17	„ 2	„	repetunter	„	„	repetuntur.
„ 19	„ 11	„	πφὸς	„	„	πϱὸς.
„ 19	„ 19	„	apellari	„	„	appellari.
„ 19	„ 35	„	observatus	„	„	obversatus.
„ 23	„ 5 sq.	„	delites-ceret	„	„	delite-sceret.
„ 29	„ 9	„	qno	„	„	quo.
„ 29	„ 21 sq.	„	longior-emque	„	„	longio-remque.
„ 31	„ 26	„	observetur	„	„	obversetur.
„ 37	„ 14	„	obrem	„	„	ob rem.
„ 37	„ 31	„	οὖ	„	„	οὐ.
„ 38	„ 8	„	δυστυχεὶς	„	„	δυστυχεῖς.
„ 39	„ 3	„	coniecturas	„	„	coniecturae.
„ 45	„ 21	„	advenasse	„	„	advenas se.
„ 48	„ 2	„	profectus	„	„	profectos.
„ 49	„ 9	„	quamqum	„	„	quamquam.
„ 59	„ 3	„	accomodatior	„	„	accommodatior.
„ 60	„ 34	„	einde	„	„	deinde.

Dissertatione litterarum formis descripta argumentum enuntiati (p. 22. vss. 17—20) „Ac cum particula τε . . . . referamus“ dubium mihi videtur.

Vita.

Carolus Rudolfus Schulze Wiehensis natus sum IV. die ante Idus Septembres MDCCCLI, patre Carolo, matre Theresia e gente Stutzbach. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus sum in urbanis scholis Allstedtensi Merseburgensi Wiehensi; septimum decimum annum agens receptus sum in Latinam scholam Halensem. Tempore paschali anni LXXV h. s. testimonio maturitatis instructus universitatem Halensem adii, ut munere militari confestim absoluto maxime philologicis studiis operam navarem. Ibi per septies sex menses frequentavi scholas, quas habuerunt viri illustrissimi Dittenberger Duemmler Erdmann Ewald Haym Heydemann Hiller Keil Kramer Krohn Pott Thiele Ulrici Zacher sen. et iun. Seminarii philologici, quod moderabantur Keil Hiller Dittenberger, per tria semestria sodalis fui ordinarius. Praeterea benigne mihi permisit Zacher sen., ut societati theodiscae, Gering, ut gothicae, Duemmler, ut historicae interessem.

Quibus viris optime de me meritis, praecipue Hillero et Keilio, maximas gratias nunc ago semperque habebo.